Periclem ut summoverent, optimates societatem inierant cum factione ea, quae rerum novarum prae aliis studiosa erat; sed homines, quos aliquantisper iunxerat odium commune, discesserunt ut primum eo quo tenderant pervenerunt, iamque denuo, ut antea, hinc stabant aratores, quibus mera damna afferebat bellum, illinc mercatores, quibus magna lucra; neque alteriutri tantum valebant ut soli rei publicae possent praeesse. Itaque ad partes populares mox rediit rerum summa et Pericles brevi ante obitum revocatus est in locum, unde nuper fuerat depulsus. Iam vero vita functo quis erat successurus? Alter ubi erat Pericles, prudentia et auctoritate et nominis splendore ita ut ille valens, qui firma manu gubernaculum rei publicae tenens inter varia voraginum scopulorumque pericula certum cursum dirigeret interritus, illuc quo tendebat feliciter aliquando perventurus? Per multos annos civibus novas vias tentantibus, ut novam patriae sibique ipsis sortem pararent, dux fuerat vir ille nobilissima gente ortus, priscarum Athenarum propago laude opibusque avitis pollens, acri ingenio praeditus, ore facundo, moribus cultissimis. Quis iam susceptarus erat opus, quod imperfectum reliquerat is, qui regis nomine solo caruerat, auctoritate et potestate vere regia fruens. Ruptum illo mortuo erat vinculum, quo studia viventium cum proxima hominum aetate hactenus cohaeserant: novus populi dux non e nobilitate sed ex ipso populo erat proventurus.

Mercator fuit is qui provinciam Pericli morte ereptam in se recipere sustinuit. Cuius viri cunis non musae gratiaeve adstiterunt, sed genius laboris. Negotia ille curabat, non artes aut disciplinas; honestus erat et strenuus, at idem durus et violentus. Non ille ut molliret iras hominum et studia diversa inter se conciliaret dabat operam, sed odium odio opponebat, minis

minas, tumido verborum incompositorum torrente illuc quo volebat civium animos abripiens. Probus erat et fortis et sibi constans, sed... novus erat homo, nullo prisci nominis decore ornatus. Hic fuit Cleon ille negotiator coriareus, qui cives belli aerumnis mersi et pestilentia rarescentes ut erigerent animos effecit, igneis verbis stimulans. Denuo eis persuasit fieri non posse ut florerent Athenae nisi debellatis hostibus. Constanter modo expectarent, superiores mox futuros; maris iam esse dominos; certissimum id eos tenere victoriae pignus; interim si qua agris Atticis damna a populatoribus inferrentur, facile compensari posse lucris, quae praeberent mercatura et navigatio.

Hunc Alcmaeonidae successorem mordacissimis iocis iam petiturus est poeta iuvenis, laude elatus, quam prima fabula apud cives invenit, et ab amicis incitatus. Mortuus est Pericles, sed vivunt etiam eius consilia, iamque foventur in pectore latratoris illius, qui ex olida sua officina in suggestum publicum provolavit incultus et incomtus, belua non homo.

Nempe aetas iuvenilis nihil viribus suis maius ducit: poeta non iam intra vitae domesticae fines, sed in ipsis civitatis vitaeque publicae penetralibus nova hominum studia, priscis moribus et institutis perniciosissima, ostendet aestuantia. Ostendet cuiusmodi sint bona illa nuper parta, cuiusmodi sit libertas illa, qua et ipsi fruantur Athenienses et socios suos frui iubeant, ferro coacturi, si forte ita liberi esse minus cupiant. Nonne nuper quae defecerat Mitylenaeorum civitas, post saevum certamen deiecta, excidio suo totam Graeciam concusserat? Merus autem casus tunc effecerat ut clementia Athenienses uterentur erga homines pervicacissimos, qui beneficium foederis cum ipsis initi vilipendissent. Penes Cleonem si fuisset rei arbitrium, in omnes adultos ense animadversum esset nullusque iam viveret Mitylenaeus qui populare Atheniensium imperium laudibus celebrare posset. Nunc, ultimo enim temporis articulo praevaluerat sententia mitior, ii soli, quorum gravior quam ceterorum videbatur culpa, interemti erant, ceteris bona sola erepta, vita relicta; itaque in suis qui fuerant agris operarii iam vivebant

novorum dominorum ex Attico popello illuc missorum. Haec nimirum erat Atheniensium clementia; sic Graecorum libertatem a barbaris vindicabant. Quos tantopere amabant socii, ut vitae bonorumque haud cunctanter facerent aleam, si qua affulgeret spes ex illo foedere ut ex ergastulo se proripiendi. Civitatum infirmiorum illa mater tanto amore prolem complectebatur, ut missam ne faceret cavens, brachiis artius compressam oblideret.

## IV.

*Babylonios* novam fabulam comicus inscripsit. In qua risit civitatis statum popularem, nova in re publica hominum studia carpens, ut anno proximo carpserat studia vitae privatae. Mense Martio anni 426 magnis Liberalibus est acta, et civitatum foederatarum legati, qui more solito ad illos ludos celebrandos Athenas convenerant, in cavea assidebant, dum palam sociorum condicio miserae servituti assimulabatur et Cleon mendaciorum turpisque fraudis crimine petebatur.

Ut Daetalenses, sic et Babylonii fabula interiit, nec nisi paucissima ea, quae diximus, effici possunt ex ipsius poetae verbis anno sequenti prolatis; ceterum ignorantur argumentum materies dispositio, nec certi quicquam praestant fragmenta quae aetatem tulerunt.

Vehementer spectatorum animos fabula commovit. Quorum alii audacia poetae comici impense sunt laetati, alii indignatione excanduerunt. Scurramne petulantem id sibi sumsisse, ut res patriae impudentissime rideret in civium peregrinorumque conventu frequentissimo et lectissimo! Non eo consilio patres sollemnia annua certaminibus poeticis ornari iussisse, ut ipsa civitas illic ludus fieret probrisque proscinderetur. Magnam quidem ridendi libertatem semper fuisse poetis comicis, neque cives linguae illam intemperantiam aegre tulisse, aut per iocum quae dicerentur habuisse pro criminibus serio prolatis; sed non eam esse ludorum Dionysiacorum licentiam ut tute ibi quidlibet de qualibet re perhiberi posset; intolerabili iam impudentia

ipsam rem publicam despicatui habitam. Non esse eorum, qui Athenis bene vellent, aut probare talia aut aequo animo ferre.

Itaque Cleon auctor fuit ut is, qui delictum illud perpetraverat, coram senatu se sistere iuberetur. Etiam archontem, qui Babylonios fabulam in certamen publicum admiserat, in gravia crimina incidisse facile intellegitur.

Non tamen Aristophanes coram senatu reus est actus, sed is qui fabulam docuerat. Nam, ut Daetalenses, sic et Babylonios fabulam poeta tradidit Callistrato histrioni, qui suo nomine eam magistratui offerret acceptamque curaret scenae committendam. Itaque anno proximo, cum absoluto certamine poetico praemium secundum publice tributum esset Daetalensibus Callistrati fabulae, per ceteram illius diei partem clarum poetam hic credere se potuit. Die vero sequenti, cum edita Daetalenses Aristophanis fabula in multorum manibus versaretur et apud bibliopolas prostaret, brevis illa gloriola in auras est dilapsa, neque Callistrati sed Aristophanis nomen inclaruit. Sic Aristophanis nunc Babylonii inter cives sedulo lectitata est fabula, et magis etiam sedulo sermonibus agitata; at vocatus in senatum est Callistratus, quippe cuius nomine in ludorum publicorum certamine poetico fabula illa esset acta. Cui propter opus scenae commissum, quod archon sententia sua probasset, — in certamen enim admiserat, — multa indici aliave poena irrogari satis apte non poterat; sed graviter est vituperatus, et postquam ita ut poterat culpa se purgavit, admonitus ne quid eiusmodi posthac in se admitteret, domum rediit animo aliquanto quam quo nuper fuerat demissiore.

Anno sequenti haec Aristophanes ei tribuit verba, quibus id quod perpessus erat enarravit spectatoribus:

„Quam male ego sim mulcatus anno proximo,
„Etiam recordor! Immerentem tum Cleon
„Traxit me in curiam, insultavit, obruit
„Linguae malignae flumine impurissimo,
„Vastoque hiatu criminum evomens globos

„Paene interemit suffocatum. Pro pudor!
„Hocine facetiarum apud vos praemium est?"

Ignis in igne fuit illa comminatio: egregie indignatus est poeta libertatem dicendi in libera Atheniensium civitate sic repressam. Ergone vetari cives quid censerent palam proloqui, si alia censerent quam illi apud quos summa esset rerum potestas! In sodaliciorum scilicet conclavia confugiendum esse, ut verbis apertis sine periculo vituperari posset populus in ficta dominatione ducibus improbis stolide oboediens et in impium bellum trudi se sinens, — fraudis semper aliquid suspicatus, interim impostorum mendaciis inepte credulus; priscis placitis ita diffisus ut novam quamlibet fraudem avide appeteret, et in meliora eniti dum sibi videtur, retro semper et deorsum labens. Non is erat Aristophanes qui a Cleonibus os sibi occludi pateretur, sed: „haud impune" clamavit „isti ferent tantam ignominiam operi meo illatam!"

Sensit tamen — licet amicis praefracte obloqueretur, si quod eiusmodi ab iis sibi daretur consilium, — paulo cautius sibi agendum. Neque enim commissurus erat Callistratus ut denuo in curiam vocaretur, neque si cuiuslibet audaciae interpres hic esse voluisset, novi magistratus tam faciles, quam proximo anno fuerat Eucles archon, se praestituri erant in admittendis sive aliorum poetarum comicorum fabulis sive Callistrati illius, sub cuius nomine latitare Aristophanem nemo iam Athenis nesciebat.

Innocentius igitur poeta quaerit fabulae argumentum quodque verbis minus acerbis possit tractari. Non iam quae odit insectaturus est, sed id quod unice sibi cordi est commendaturus. Pacis canet laudes. Non in eos qui belli finem fieri vetant scribet fabulam, sed ad sanam spectatorum mentem provocans ostendet quantae sit stultitiae, in commodum rabularum impurorum cum gentibus vicinis digladiari opibusque publicis privatis pessime abuti, dum inculta iaceant Attica arva et vineae.

## V.

Mense Februario anni 425, ludis Lenaeis, novam fabulam, quam *Acharnenses* poeta vocavit, Callistratus suo nomine dedit primasque in ea egit partes.

Fabulae initio adspicitur Pnyx, ubi hodie, more solito, habebitur populi concio. Habebitur? immo dudum coeptam oportuit, nam prima luce rerum publicarum initium fieri iubet mos, et altius iam in caelum adscendit sol. Ardentissimus quippe esto civibus Atheniensibus amor patriae: non tamen tantus est ut aut ceteri aut magistratus iusto tempore adesse velint: lucri videlicet nihil faciunt qui adsunt concioni.

Unus tamen adest Dicaeopolis mediae aetatis civis. Aratorem vocare se solebat, etiamnunc vocare se vellet, — si modo esset quod araret, sed dirutum est praedium. Sextum iam annum cum suis transigit intra urbis moenia. Sextum annum scilicet! Illic situs est eius pagus! Hic quod agat non habet. Quorsum etiam ei vita? Mera taedia et aerumnas afferunt longi dies. Nunc quoque stomachatur... numquam nimirum non sero venit desidiosa gens urbana; rure maturius surgitur!

En tandem denique adsunt prytanes, iamque sensim confluit populus. Fit concionis initium; dein introducuntur legati e Persia nuper reversi. Vix credit suis auribus Dicaeopolis. E Persia? Ergone vesania correpti sunt Athenienses, qui hostem avitum — non stricto gladio adeant, sed vultu comi et submisso, nummos scilicet ab eo efflagitantes? Eone igitur iam perventum est, ut Artaxerxis et satraparum aurum appetant Spartiatae Atheniensibus, Athenienses Spartiatis malum struentes?

Altera coram populo senatuque prodit legatio, quae a Sitalce Odrysarum rege adduxit auxilia. Ain vero? Auxilia a feris immanibusque istis Rhodopes incolis? Stipendia a rege barbarorum orientalium, auxilia a septentrionalium? Quantum foret patriae dedecus... nisi mera mendacia haec essent omnia! Nam

satis superque notas habet Dicaeopolis Persicas illas opes, promissas semper ab oratoribus magniloquis, acceptas nunquam, et socios illos Thraces, venturos semper, sed numquam adspectos. Nisi ipsis legatis, nemini profuturae sunt illae legationes, fabulae enim nunc quoque narrantur civibus male semper credulis.

Iamque supra rerum quotidianarum paludem poeta evehitur insita vi ingenii, et quae in hac vita fieri nequeunt, fiunt intra orbem illum magicum, ubi habitat musa comica, procul a clamoribus turbisque civilibus, nullis temporis spatiive legibus impedita...

Nauseat Dicaeopolis fallacium homuncionum verbula. Semperne igitur patienter ferenda erunt talia? Non feret ille, sed solus quoniam Athenis etiam sapit, solus malo se eripiet, solus salutem recuperabit... non bellando, sed pacem conciliando cum hostibus illis, qui hostes fieri numquam debuerant. Res est simplicissima et facillima: sibi suisque postquam pacem tricennalem fecit cum Peloponnesiis horumque sociis, — quippe ad ineundam nunquam non paratissimis! — in praedium suum redit comitantibus uxore filia cetera familia. Quae vastata sunt illic, erecturus est nova spe erectus ipse, et novas arbores pro excisis saturus. Post otium nimis longum laborando denuo brachia exercere gestit...

At „Apage!" undique ei occlamitant pagani, ut primum senserunt quid agat: „apage hominem scelestissimum, qui pacem iniit cum hostibus incendiariis, sicariis, periuris!"

„Vos igitur fieri quid iubetis? Semperne erit deproeliandum, „donec nihil superet nobis quod ferro tutemur? Nos autem „mitesne semper et benevolos nos praestitimus erga vicinos? „Nihilne deliquimus? Cum rixatur, utrinque peccatum esse tute „credideris! Oblivio sepeliamus tandem vetusta illa crimina!"

Vincit mens sana, adque Dicaeopolidem, qui agricola iam factus est denuo, redit illa quam rus praebet abundantia; in pristina vitae facilitate ludis et iocis et laetis conviviis denuo fruitur. Alibi dum misere esuritur, illi praesto — ut olim —

[illegible] e regionibus [illegible] rustici dum [illegible] abreptos, — [illegible] lateribus, dum [illegible] in ruris [illegible] leporesque [illegible] in fabulae [illegible] ferens. [illegible] innisus, [illegible] ex [illegible] praemium [illegible] generosi; [illegible] ab hostibus [illegible] clamoribus [illegible] amicorumque cantica.

[illegible] beatos [illegible] annos transegerat [illegible] spectatorum velut [illegible] aliquo balneo [illegible] temporum Atticorum aëre pulmones suos denuo [illegible] Cimoneum nondum praeteriisse, mera insomnia [illegible] aerumnas, per temporis breve spatium credere [illegible] autem praebebant fabulae facetae felicissima [illegible] et hilaritate vere iuvenili enarratae. Primum [illegible] Acharnenses fabula tulit. Qui eo maior fuit honor, [illegible] poeta habuit Cratinum, multorum annorum laude [illegible] et Eupolidem Cratino quidem multo iuniorem poetam, [illegible] et ipsum.

[illegible] etiam erat vitae humanae imperitia, ut fingere [illegible] posset Graeciam a poeta comico non solum in theatro [illegible] revera pacatam. Id sibi datum esse, ut civibus ab [illegible] dilectissimam sibi patriam servare posset, [illegible] persuasissimum. Utque bene sibi cederet consilium [illegible] temere initum, ex intimo animo sperabat. Videbat [illegible] in [illegible] civitatem malis altius mergi, cui quid proderat [illegible] gravioribus etiam cladibus affligerentur hostes? Pestilentia [illegible] bello miserrime imminutus erat civium numerus. Pecunia quidem nondum deficiebat, nam magna identidem vis auri a sociis Athenas deferebatur et florebat mercatura; sed opes ne posthac

quidem defecturas, quis praestabat? undenam venturas semper? Utque repleri posset aerarium, aurone sanari poterant vulnera, quae civitati infligebat bellum? Boni nihil id attulerat, nihil erat allaturum. Quod qui appetebant, aut mente erant capti aut patriae male volebant. Apage igitur Cleonem eiusque asseclas! Internus ille hostis impugnandus erat, ut cum externis pax posset componi!

## VI.

Brevi post Acharnenses fabulam scenae commissam non ea fuit rerum Graecarum species ut Cleon facile de statione, quam in civitate obtinebat, pelli posse videretur. Aestate anni 425 Athenienses Pylum in Peloponnesi ora occidentali sitam occupaverunt, quae expeditio prudenti Demosthenis ducis consilio et strenua Cleonis industria felicissimum hunc habuit eventum ut armati trecenti dederent se Atheniensibus, in his Spartiatae centum viginti. Quos laeto triumpho cum Cleon classe in Piraeum adduxit, cives oculos veluti in ignotas aliquas beluas intenderunt in Spartiatas illos, qui vivi captari potuissent. Nam hactenus omnes Graeci certissimum duxerant nullos umquam Spartiatas, ut cutem servarent, hostibus iubentibus arma posituros. In tumulo Leonidae eiusque militum scriptum erat:

„Ad Lacedaemonios, hospes, perferre memento,
„Legibus illorum hoc nos cecidisse loco."

Illi quod fecerant, id quilibet Spartiatae quin facturi essent, nemo dubitaverat hactenus. Nunc erepta iis erat illa fama virtutis invictae, dux autem Atheniensis effusissimis laudibus inter cives celebrabatur neque facile adversariis cessurus videbatur. Spartae nulla iam erat spes pacis haud iniquis condicionibus brevi impetrandae.

Itaque Callistratum minus etiam quam antea iam impulit animus ad virum gratia atque auctoritate florentissimum versibus probrosis vexandum. At quod ille detrectabat officium, ipse Aristophanes id in se recepit. Non iam tiro erat in rebus

scenicis, non famae obscurae iuvenis et paene puer, sed laude recenti ornatus poeta civibusque acceptus. Callistrati Cleonem dendo lacessere recusantis haud quaquam requirebatur opera aut nomen: suo iam periculo is, qui scripserat fabulam, magistratui oblaturus erat et, si reciperetur, docturus.

Odio occaecatur mortalium mens. Fieri non potuit ut poeta aequam ferret sententiam de viro illo, cuius studia et consilia, cuius vox et ipse vultus tantopere sibi displicerent. Mercatorem illum incultum clamosum abominabatur. En quem novum sibi dominum populus Atheniensis imposuerit ipse! Ludicra foret res altisque cachinnis explodenda — nisi supra quam dici potest esset turpis et deflenda potius. Nequam homuncionem ex coriorum ista sentina prodiisse ad Miltiadarum Themistocliumque hereditatem cernendam! Aristidi Cimoni Pericli successorem fieri hominem novum, cuius neque in mercatura neque in rebus publicis neque in arte bellica nomen antehac fuisset ullum!

Hostium copiae cum in insula exigua Pylo adiacenti tenerentur inclusae, sed ulterius non procederet res neque auxilia Athenis tempestive mitterentur. Cleon vehementissimis verbis magistratus militares erat criminatus: „Nihil agendo teri tempus; ipse exercitui si praefuisset, non tantum temporis absumturum fuisse in insula illa obsidenda: dudum vi et armis captam oportuisse!" — Irati clamarunt quos vituperabat: „Probaret modo quod perhiberet! Per ipsos nihil obstare quominus rei periculum faceret!" et renuentem primo, non enim se sed illos praetores esse, cum vehementius urgerent, nihil perterritus pro praetore Pylum deduxerat auxilia, Spartiatas qui illic inclusi erant intra dies viginti aut vivos aut mortuos Athenis exhibiturum se palam professus. Ab adversariis autem derisus ob inanem grandiloquentiam, id quod poterat gravissimum delictum perpetraverat homo belli ignarus: steterat nimirum promissis et ipsa re probaverat non sine causa se magistratuum segnitiem acerbis verbis esse criminatum. Non iam hominis deliri videbantur quae Pylum abiens iactaverat verba, nam perfecerat id quod perfecturum se praedixerat:

nondum venerat dies vigesimus et Athenis victor cum captivis aderat.

Iamque tanquam heroem aliquem suspiciebat eum popellus Piraei turbulentus promptusque ad sperandum, quippe cui fortuna adversa nihil posset detrahere. Novarum rerum auctorem fore confidebant videlicet. Novarum sane atque inauditarum, sed non meliorum quam quas priscis civibus tradidissent patres! Pellecturus homines erat novus dux et decepturus, quemadmodum nunc eos decipiebat, pennis pavoniis ornatus graculus impudenter surreptis. Nam immerenti ei caecoque quodam casu cesserat illa gloria, stultae scilicet iactationis praemium.

Sic in Cleonem invehebantur qui Aristophane et seniores erant et rerum publicarum peritiores; eadem autem mente verbisque similibus de eo sententiam tulit Thucydides scriptor gravis atque severus. Quid mirum igitur persuasum fuisse poetae iuveni, haud inique se partis popularis ducem rodere, cum stultum scelestumque vocaret impostorem. Furiosorum hominum civitas ei videbatur urbs, ubi laudibus extolleretur ista bestia praemiisque publicis cumularetur. Cleonem cenae prytanum iam adiacere quotidie, convivam honoratissimum! Cleoni in primis theatri subselliis suum esse locum, utpote de patria bene merito!

Ergone eo usque iam perventum est quo procedere poterant hominum stultitia et improbitas? Minime ... et in poetae pectore excandescit vis ingenii ... etiam deterior aut, ut illi loquuntur, etiam melior fieri potest patriae condicio. Post Periclis mortem rei publicae aliquantisper praepositum vidimus Eucratem pistorem, dein Lysiclem pecuarium, iamque coriarius iste clamoribus suis opplet omnia ... aliquantulum etiam eadem via pergatur et popelli potestas suo fato concidet.

En novae fabulae argumentum, qua in Cleonem poeta est animadversurus. Impurissimum quendam hominem, e plebis faecula cretum, inter porcos eruditum, pugnis fustibusque dolatum, praeter mentiendi fallendi suffurandi artes nihil edoctum, civitati Atheniensium praepositum ostendet, ab ipsis nimirum

diis Cleoni successorem destinatum unice eo dignum dudumque vaticiniis designatum.

Populus senex grandaevus totum se dedidit servo cuidam Bullioni nuper emto. Sub cuius nomine quis lateat, ne per brevissimum quidem temporis articulum cuiquam inter spectatores dubium videri potest; nam Cleon eo quem omnes norunt vultu prodit in pulpitum eaque voce, qua civium concionem attonitam tenere solet, in theatro iam deblaterat. Cetera mancipia nihil valent adversus fraudulentum hunc Populi ministrum, qui heri animum malis veneficiis infecit. Sed prosperitatis nefaria arte partae prope adest finis. Nam clamando et mentiendo quamdiu nemini fuit secundus, ne auctoritate quidem cessit cuiquam; iam vero superatur ab isiciario quodam, spurcissimo nebulone, quippe qui minus etiam quam ipse sit cultus, minus modestus, minus honestus. Vincit hic iurgiis, vincit mendaciis, vincit blanditiarum quamvis ineptarum artificiis, — itaque in aedibus senis stupidi iam primus erit: sic dii voluere. Bullio contemtim pellitur in suburam, isiciarius rebus praeerit...

Iamque intercedunt numina. Fartorem illum, qui cultris suis et candice relictis ad Populi res administrandas accessit, egregiis ornant mentis ingeniique dotibus, ut novo officio bene possit perfungi; itaque ex tenebrione inculitissimo vitiisque cooperto fit vir probus prudens strenuus. Neque minus benevolos se praestant dii erga ipsum Populum, qui recuperato, quo olim florebat, mentis vigore atque acumine, et e sene iuvenis factus lenio, in fabulae exitu renatum saeculum aureum faustissimis ominibus auspicatur, comitantibus novo atriense et equitibus, bonorum virorum principibus, qui fartori cum Bullione colluctanti viribus intentissimis et ex animi sententia sunt opitulati.

## VII.

Equites fabulam suo nomine regi sacrificulo obtulit Aristophanes, quae in proximum Lenaeorum certamen scenicum admitteretur. Recepta est, mense Februario 424 acta, primo praemio,

ut Acharnenses, ornata. Quae non iam Callistrati sed ipsius Aristophanis fuit laus; Cratinus autem senex praelatum sibi, ut anno priore, vidit poetam iuvenem.

Quam iudicum scenicorum sententiam quin iniquam duxerit Cratinus minime est dubium. Eratne autem aequa?

Fortasse satius erat nihil eiusmodi rogasse, quoniam anceps semper de artis operibus est iudicium neque certis mensuris vel ponderibus adhibitis potest effici, de huius autem certaminis poetici eventu argumentis allatis disputari ne potest quidem, nequit enim fabula Aristophanis hodie conferri cum Cratini fabula deperdita. Id tamen manifestum est, a scenica hac victoria minime afuisse studia partium civilium. Nam eo consilio Equites fabulam scripsit Aristophanes ut certae cuiusdam factionis opiniones in theatro palam proferret, quas prolocutus est verbis facetis quidem et aculeatis, — plures etiam si quis vult in eum laudes conferto! ... si modo addat, id quod negari nequit, violenta truculentaque dictione libellorum famosorum usum. Ex acri partium contentione prodiit fabula maledicentissima, de qua sententia sine ira aut studio ferri nihilo facilius potuit quam de ipso, qui tantis criminibus petebatur, Cleone. Quam sibi utilis esset ante omnia rogabant qui Cleonem oderant, quam maligna qui a parte stabant contraria: satisne pulcra esset plerique minus curabant.

Felle calamum tinxerat poeta comicus hanc cum scriberet fabulam: altis clamoribus durisque iurgiis tum cum acta est resonuit theatrum. Mordacissimis probris proscindebatur Bullio Populi senis mancipium, non Cleon partium popularium dux: sic nimirum volebat mos; sed ficto illo nomine nihil mutabatur fabulae argumentum aut materies. Apertissimis criminibus inde ab initio usque ad exitum petebatur is qui summam in re publica obtinebat, in amoena autem aliqua iocorum deverticula ne ita ut anno proximo aberraret poeta summopere caverat, recta via ad eventum strenue properans. Inter acerbissima illa iurgia et crimina non erat locus risui benigno. — „Perinde atque canem flagris te concidam"! — „In sterquilinio ceu pur-

gamenta te proiciam!" — his similibusque verbis Bullio et fartor per totam fabulam inter se conviciabantur. Acharnensium fabulae eae praesertim partes placuerant, in quibus hilarae laetitiae indulgens poeta iocos quosdam innocuos cum ipso argumento haud ita firmis vinculis cohaerentes ingenio ludibundo exornaverat. Omitti ea omnia potuissent . . . non sane sine insigni fabulae detrimento, salva tamen eius trama; colores et ipsum decus ei fuissent ademta, non esset divulsa. In Equitibus vero nihil erat quod inimici quantumvis malevoli inutile dicerent. In finem optatum concurrebant omnia, sine ullis ambagibus. Recta fiebat impetus in Bullionem inde ab eo temporis articulo, quo equitum chorus irruebat in orchestram, usque ad fabulae exitum, quo servus fraudulentus in angiportuum latebras immundas abigebatur. Dicteria ludicra, verbula faceta, venusta cantica hoc quoque poetae opus multa habebat et infinitos cachinnos praesertim inter minus culti ingenii spectatores excitavit: „inutiles" digressiones non eo quo properabatur ducentes habebat nullas. Non flores amabiles sed fungi maligni vere novo procreverant ex solo putrido discordiarum civilium, formosi sane vividisque coloribus insignes, sed veneno infectissimi.

Rei publicae in Equitibus nihilo magis maledictum est quam in Acharnensibus; nam in fortem strenuumque marathonomachum qui mutabatur Populus, propudio habitus dici aut videri non potuit. Tamen negotia haec fabula poetae facessivit, ξενίας enim propter eam est insimulatus.

Qua de re quae accepimus testimonia, aut sublestae sunt fidei aut ambiguis verbis concepta. Quapropter fuere qui ipsam rem in dubium vocarent vel etiam a seris interpretibus fictam contenderent. Ipsius tamen poetae — quo solo iam utimur teste idoneo — quaedam verba satis bene intellegi posse non videntur, nisi ξενίας crimine revera petitum sumimus. Fortasse haud improbabilis — nam certa hic non expectanda — videbitur quae sequitur rei expositio.

Una hominum aetate ante belli Peloponnesiaci initium Athenis

aperto bello adversabatur Aegina insula opulenta pridem atque potentissima. Quo tempore Aeginetae haud pauci, quorum factio a parte Atheniensium steterat, in Atticam commigrarunt [1]), ubi civitate donatos esse fert ratio. In his videtur fuisse pater Aristophanis. Fortasse cognatus fuit Aristoclidi illi Aristophanis filio Aeginetae, cuius victoriam Nemeaeam carmine celebravit Pindarus.

Aliquot annis post — anno 451 [2]) — Athenienses artioribus quam antea finibus circumscripserunt ius civitatis [3]). Hactenus legitima fuerant civium cum mulieribus peregrinis matrimonia. Sic Megacles ille nobilissimo genere ortus -- ut exemplo utamur ex Herodoti suavi narratione notissimo — uxorem duxit filiam Clisthenis tyranni Sicyonis; matre peregrina nati fuerunt cum alii viri, qui magnas in re publica partes egerunt, tum Themistocles et Cimon. Iam vero ius illud connubii est abolitum: in posterum lege sancitum est ut iis solis ius esset civitatis, qui e cive patre et cive matre iusto matrimonio iunctis essent nati. Non tamen adimebatur ius civitatis iis qui hactenus eo essent usi.

Poetae autem patrem Philippum civitate donatum si iure sumsimus, cives fuerunt huius liberi qui ante annum 451 essent nati, non qui postea; nam uxor utique mansit Aegineta. Aristophanes igitur si anno 451 est natus [4]), postea dubitari potuit

---

[1]) Herodot. VI 90.

[2]) [Aristot.] Rep. Ath. 26.

[3]) De hac re singulari cura disputavit O. Müller (Unters. z. Gesch. d. att. Bürger- u. Eherechts, Fleckeis. Suppl. 1899); cui tamen nonnisi ex parte adstipulandum arbitror.

[4]) Per annorum quadraginta spatium (427—387) fabulas Aristophanem scripsisse constat; sed qua aetate initium fecerit nescimus. Qua de re coniecturam probabilem fecit is, qui ad Ran. 501 in exitu scholii V scripsit: „σχεδὸν μειρακίσκος ὢν ἤρξατο τῶν ἀγώνων." Nam iuvenem fuisse Acharnensium fabulae poetam, ipsa fabula clamat. Nihili autem est quod ad Nub. 530 in editione Aldina legitur scholion a Musuro e recentioribus codicibus ductum — non enim extat in V R —: „νόμος δὲ ἦν μὴ εἰσελθεῖν τινα μήπω τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότα, ὡς δέ τινες, τριάκοντα" (annorum 40 mentio fit in codicibus Neapolitano et M, 30 annorum in Vaticano 1294, ut benevole docet me Schepers vir doctus et in his studiis habitans). Vetabat sane lex „χορηγεῖν τοὺς μὴ ὑπὲρ τετταράκοντα" (Aeschin. I § 12), sed nihil hoc ad aetatem *poetarum*, neque horum sed histrionum et

essetne civis Atheniensis necne; nam nonnisi semel quotannis — mense Octobri [1]) — liberi nuper nati inscribebantur in album curialium, saepe autem ne eodem quidem quo nati erant anno inscribebantur [2]). Et traditum revera accepimus Aristophanem quendam Chollidensem, — sed poetaene cognatus hic fuerit necne non liquet, — qui anno 404 sub triginta virorum dominatione interemtus est, iure civitatis usum esse dubio [3]).

Anno 431, cum exarsit bellum, Athenienses incolas Aeginae ante quartam saeculi partem vi subiectae, quos spem libertatis recuperandae haudquaquam abiecisse et quam maximam poterant invidiam inter ceteras Graeciae gentes ipsis conflasse suo damno plus semel senserant, insula pepulerunt, agros inter colonos Atticos diviserunt. Nullum tamen detrimentum tunc illatum esse Aeginetis illis, qui ante annos triginta Atticam sibi elegissent novam patriam, per se intellegitur. Itaque Aristophanis patri si Aeginae fuit praedium avitum [4]), etiam posthac id ei permansit, et interpretatu sic facilia sunt verba, quae choro Acharnensium tribuit comicus: „tam praestantem esse huiusce fabulae poetam tantamque esse illius facetiarum utilitatem, ut rex Persarum nuper ambigens societas cum Atheniensibus an cum Lacedaemoniis essetne sibi ineunda, rogaverit utri vehementius a comico illo poeta vituperarentur, hos enim se

---

choreutarum erat τὸ εἰσιέναι. Nullam autem de poetarum aetate fuisse legem cum aliunde efficitur — nam Aeschylus Sophocles Euripides tricenariis minores scenam adiisse feruntur, Eupolis et Menander annos nati septendecim, Antiphanes viginti — tum ex ipsius Aristophanis verbis; qui in Equitibus fabula supplex fere spectatores adiit, ne stomacharentur sibi precatus, quod aliis hactenus hominibus fabulas tradidisset docendas nimis fortasse modestus. Nam suo nomine docere si hactenus eum vetuisset lex, modestia eius nulla videri poterat neque rogandi erant spectatores ut ei ignoscerent. Optimo igitur iure F. A. Wolf illud scholion reiecit.

[1]) Cf. ad Ar. Ach. 146 Ran. 418.

[2]) Lys. XXX § 2 alibi.

[3]) Lys. XIII § 58 sq.

[4]) „Aeginae colonum" eum dixit Theogenes priscus grammaticus, non tamen aliis usus testimoniis, quam illo quod inesse putabat verbis poetae statim afferendis. Alii ad *Callistratum* poetae illa verba referebant, hunc igitur unum ex civibus Atheniensibus, qui anno 431 Aeginam coloni missi sunt, fuisse rati. — Cf. scholia ad Plat. Apolog. 19 *c* (infra in Appendice), ad Ar. Ach. 654, ad Vesp. 1284.

malle socios, utpote bello superiores procul dubio futuros. Peloponnesii autem quod pacis condiciones nullas admissuros se profiteantur nisi Aeginam missam faciant Athenienses, huius consilii non eam esse causam quod ipsa illa insula iis tanti sit, sed quod hunce poetam suum facere velint Atheniensibus ereptum".

Iocantis haec sunt verba, non severe igitur ad litteram exigenda; sed ineptissima forent, si de nihilo essent ficta. Nihil autem si Aristophani — aut si quis mavult, Callistrato — cum Aegina fuisset commune nisi hoc unum, quod eius patri — vel ipsi — ante paucos annos ager illic esset tributus, spectatoribus haec res satis cognita esse non potuit, utpote quae nullius iis esset momenti; quam maxime autem si iis innotuisset, parum proderat ad chori illa verba explicanda. Nam Aeginetis ut reddi posset insula, quod poscebant Peloponnesii, pellendi prius erant cives Athenienses, qui nunc eam tenebant coloni. Sed e gente Aeginetica si oriundus fuit Aristophanes, aptissima erant illa chori verba et spectatoribus intellectu facillima. Nam cum insula illa, cuius nomen hoc tempore odiosissimum erat Athenis, comici gentem cohaerere, id ne ignoraretur eius aemulos atque inimicos sedulo curasse ratio clamat [1]); ipse autem poeta id quod ad gratiam imminuendam

---

[1]) Aristophanem vellicari versu Teleclidis (fr. 43):

*ὃδ' ἀπ' Αἰγίνης νήσου χωρεῖ δοθιήνος ἔχων τὸ πρόσωπον,*

haud temeraria videtur suspicio; nam sono tam similis est versus quidam in exitu parabasis fabulae Pacis, quo loco ipse se Aristophanes ore coryphaei iocose laudavit, ut alterum poetam alterius verba respexisse nemo non facile sibi in animum inducat. „Calvorum" — ut ipse erat Aristophanes — „mira quaedam „Athenis iam est gratia, et certatim omnes in conviviis: Da calvo! aiunt: Pone „ad calvum

*καὶ μὴ ἀφαίρει*
*γενναιοτάτου τῶν ποιητῶν*
*ἀνδρὸς τὸ μέτωπον ἔχοντος*". —

Noli detrahere viro cui frons sit talis qualis Aristophani poetae praestantissimo! (Pac. 765—774).

Etiam Eupolidis (fr. 357) versus:

*ὅ τι παθόντες τοὺς ξένους μὲν λέγετε ποιητὰς σοφούς,*
*ἢν δέ τις τῶν ἐνθάδ' αὐτοῦ, μηδὲ ἓν χεῖρον φρονῶν,*
*ἐπιτίθηται τῇ ποιήσει, πάνυ δοκεῖ κακῶς φρονεῖν*

de ipso inter cives dicebatur in laude sibi posuit, verbis festivis usus et tam immodice gloriatus ut serio dicta ista nemo, qui quidem sanae esset mentis, in animum sibi posset inducere.

Peregrinis autem licebatne fabulas docere Athenis ludis publicis?

Non licuisse non constat. In *choros* quidem nonnisi cives admitti lex claris verbis iubebat [1]); neque causa latet, nam cultus deorum pars erant certamina musica et scenica, a peregrinis autem sacra publica rite peragi qui potuissent! Igitur etiam *histriones* cives fuisse fert ratio. Sed *choregi*, qui sumtus faciebant, etiam e metoecis ditioribus recentiore certe aetate fiebant. Itaque fabulas quoque, quae a *poetis* peregrinis scriptae essent, in certamina scenica admitti potuisse non est quod praefracte negetur. Tragoediae certe nonnullae poetarum non Atheniensium Athenis sunt actae ludis publicis, et comicorum recentiorum complures peregre Athenas venerunt: Antiphanes, Philemon, Diphilus. Ecquid ius civitatis his est datum [2]), item Pratinae Phliasio et Carcino Agrigentino poetis tragicis, Ioni autem Chio vel Dionysio tyranno Syracusano per privilegium concessum est ut fabulas suas scenae Atheniensi committerent? Sed ita si statuimus, quid de *dithyramborum* poetis peregrinis minime raris, qui Athenis certarunt?

Dixeris igitur liberum etiam poetis peregrinis ad certamina publica fuisse aditum, ea tamen lege ut docerent quidem suas fabulas vel carmina, sed non ipsi in se reciperent histrionis

---

in Aristophanem esse scriptos suspicatus est Meineke; quam opinionem addubitavit Zielinski, confidenter reiecit Kaibel, peregrinos poetas non *comicos* cogitans ipsius Eupolidis aemulos, sed *priscos lyricos* Semonidem et Pindarum. Huic assensus est Römer (Studiën I p. 133). At quam casca erant illa, quis autem erat poeta ille Atticus, qui Pindaris opponeretur? Mihi Meinekii illa coniectura non certa quidem videtur, — ignoramus enim contextum, — sed vero admodum similis.

[1]) *μηδένα χορεύειν ξένον* (Plut. Phocion. 755 *c*; cf. Demosth. XXI § 56 [Andocid.] IV § 20). Quapropter cives *τοὺς ἐν χοροῖς τραφέντας* Aristophanes opponit hominibus peregrinis Ran. 729.

[2]) De Antiphane certe traditum id accepimus (cf. infra in Append. II, *Περὶ Κωμῳδίας* § 14 sq.).

vel cantoris officium. Primitus igitur, cum primas in suis dramatis partes ipsi poetae solebant agere, a certaminibus publicis peregrinos fuisse exclusos, dein vero, cum actoribus rem permittere solerent, per leges nihil obstitisse quominus cum poetis civibus certarent.

Non tamen satis commode sic explicantur quae de Aristophane habemus comperta, itaque satius videtur sumere peregrinis non sic temere perinde atque civibus licuisse fabulas suas offerre magistratui in scenam admittendas, magistratum autem qui Equites Aristophanis fabulam recepit a cive scriptam putasse.

Etiamne ipsi Aristophani persuasum erat civitatis sibi esse ius? An in dubium vocari id posse cum non nesciret, primas fabulas docendas tradidit Callistrato, nunc vero nova apud cives gratia fervens ut suo nomine certaminis poetici periculum faceret [1]) permotus est ab amicis, veritis ne in poetae scriniis abdita maneret fabula duci partium popularium infestissima?

Est cur vero similis haec habeatur opinio. Alia omnia quidem ait chorus Equitum: modestiam nimirum obstitisse quominus poeta tiro priores fabulas suo nomine proponeret [2]); sed ipsi poetae, coryphaei ore id perhibenti, estne credendum? Immo veram rei causam ab eo non esse indicatam, certe non unicam, testantur fabulae quas post Equites, tum cum neque tiro etiam esset neque a pueritia propius distaret, aliis tradidit docendas. Quae autem poetae verba non ab omni parte vera esse constet, ea nisi certis argumentis aliunde allatis partim certe possint confirmari, omnino pro commenticiis sunt habenda, cum praesertim paucis annis post haec scripserit ille: „Ex quo Daetalenses prima fabula, quam nomine alieno pro-

---

[1]) Etiam *actoris* officio Aristophanem in Equitibus functum perhibet biographus (Vit. § 3), rem minime absurdam; quae si constaret, melius intellegeretur cur comicus post fabulam scenae commissam sit accusatus. Sed fide caret, nam ex Equitum versu 231 perperam intellecto haec opinio ert nata, et confusa sunt verba διδάσκειν et ὑποκρίνεσθαι.

[2]) Eq. 512—516 et 541—544.

posui, benevole est accepta, certam apud spectatores Athenienses gratiam mihi stare scio" [1]). Nam qui anno 427 compertum haberet artem suam civibus placere, quidni illo favore confisus proximo statim anno Babylonios fabulam suo nomine magistratui obtulit et anno 425 Acharnenses... si nihil praeter pudorem iuvenilem eum antea retinuerat?

Sed multum abest ut quaecunque huc pertinent probe habeamus cognita. Id quidem certum, non ab heliastis damnatum esse Aristophanem propter ius civitatis legibus invitis affectatum: cuius delicti nomine qui damnabantur, servi fiebant et publice venumdabantur. Non enim in iudiciis Atheniensibus sic ludebatur ut e fabella haud illepida, quam servavit biographus undecunque acceptam, effecerit quispiam nisi meliora sit edoctus: Aristophanem, cum reus ageretur, attulisse verba Telemachi, Ulixisne esset filius roganti hospiti sic respondentis:

„Certe hoc me genitum mater testatur; at ipse
„Ignoro, sua nam nulli bene cognita origo."

Cuiusmodi nihil coram iudicibus dictum esse certo constat, quoniam minime ioculare erat ξενίας illud crimen neque facetiis sed argumentis allatisque testibus refellendum, neque *quis* sed *cuias* pater poetae fuisset quaerebatur. Sed crimen ad senatum — non enim ad iudices — a Cleone huiusve amicis delatum huc videtur rediisse ut poeta, cum ex eo quaereretur quo tandem iure virum, qui summam in re publica teneret, ludis publicis tam proterve insectatus esset, non potuerit evincere optimo iure se id fecisse, id tamen persuaserit senatoribus, non scientem se peccasse.

Quicquid id est, post Equites fabulam in certamine publico spectatam et laudatam Cleon aliqua ratione effecit ut cavillator ille petulans et maledicentissimus effrenam cohiberet audaciam, cavendum sibi intellegens. Ipse poeta rei testis; qui paucis annis post haec scripsit: „Fuere qui a Cleone domitum me perhiberent; nempe calumniis me opprimere cum ille conatus est,

[1]) In Nubium editione retractata, vs. 528—533.

foris" — extra aedem senatus — „otiosi adstabant hi homines: ridebant me mulcatum altosque clamores edentem, et plagis elisus an novum aliquem iocum emissurus essem expectabant. Quorum erga me animum cum probe perspexi, inimicis os aliquantulum oblevi offuciis, iamque decepit ridica vitem" [1]).

Ridens sic loquitur poeta et ludicre admodum res in maius augens; non enim serio accipienda esse male mulcandi et clamitandi illa verba, nemo non sentit. Quae cum convertuntur in sermonis quotidiani dictionem sobriam atque placidam, ait Aristophanes se tunc, cum negotia sibi facesseret Cleon, amicis frustra confisum sensisse circumspectius esse agendum. Praeterea nihil senatui se promisisse aut ait aut significat; sed talia qui negat, ipsa negatione confirmare videtur. Missum utique Cleonem et res publicas poeta fecit tempore proximo, sive coactus sive sponte sua; aliis autem viris fabulas sequentes, ut primas, tradidit docendas. Unde aemuli iocorum mordacium materiem saepius petiverunt. „Arcadas eum imitari", Arcadis nimirum latronis instar non suo certantem nomine sed aliis operam navantem, dixit Plato comicus [2]); idem „quarto mensis die" sive die natali Herculis, qui famae alienae per totam vitam inservivit, malo omine „natum" vocavit [3]), quem iocum alii competitores cupide arripuerunt Aristonymus Amipsias Sannyrio [4]).

Est autem quod gaudeamus, non eadem via perrexisse Aristophanem. Qui quod senatui promisisse se negavit, id solus sibi ipsi promisit fortasse, postquam ad se rediit et studium

---

[1]) Vesp. 1284—1291.

[2]) Plat. fr. 99; nam Aristophanem, non ipsum Platonem peti illo dicterio cum Meineke suspicatus esset (Quaest. Scen. II p. 12), opinionis illius ab ipso Meinekio postea reiectae Cobet (Plat. Com. p. 102—110) suscepit patrocinium; qui tam strenue eam confirmavit ut in dubium vocari vix etiam possit. Apud Suidam autem et Eustathium quod διὰ πενίαν comicus fabulas aliis docendas concessisse dicitur, id aut Cobeto auctore deleatur utpote recentioris scioli commentum, aut — quae potior videtur ratio — scribatur διὰ ξενίαν.

[3]) Plat. fr. 100.

[4]) Cf. Vita § 2 et schol. Plat. Apol. 19*c*.

criminantibus obloquendi in eius pectore deferbuit. Musa tunc nocte quieta haece in aurem ei insusurravit: „Ista fabula, quae „tantopere placuit tuis amicis, humilioris erat artis quam fuere „priores. Clamitando aut conviciando qui isiciarium tuum „aequet, nullus fortasse homo Athenis extat; sed mei alumni „non erat iurgiorum istiusmodi inire certamina, quae victori„bus quam victis maius afferunt dedecus. Non ut rixis civi„libus tela subministrares te vocavi, sed ut artem Cratini „alte eveheres supra vitae quotidianae sordes et aerumnas."

## VIII.

Neque proximo tempore Aristophani nimis difficile esse potuit, a partium contentionibus se abstinere. Nam etiam tacente ipso rata iam fieri videbantur eius vota. Rerum futurarum praesagia quaedam habuerat Equites fabula, cum altis adversariorum clamoribus resonuerat theatrum, ut littora voce stridula avium procellae praenuntiarum,

cum medio revolant ex aequore.

Nondum quidem in malam rem pellebatur Bullio, sed mox ut pelleretur quin in fatis esset minime dubitabat poeta; nam magis magisque obscurabatur brevis illa Cleonis gloria, dum calamitatibus opprimebatur res Atheniensis. Spretis sanae mentis praeceptis illis, quae bello ineunte dederat Pericles, Atheniensium copiae terrestres invaserunt Boeotiam, ubi aliquot mensibus post Equites fabulam scenae commissam gravissima clade sunt affectae. Isdem diebus Sitalces Thrax, Atheniensium socius, — quem in Acharnensibus fabula salse riserat Aristophanes, — praelio cum gente vicina inito occidit; cui qui successit Seuthes, Spartae favebat. Eodem etiam tempore Brasidas Spartiatarum dux strenuus et peritus cum magno exercitu petivit oram Thraciam, ubi civitates Athenis foedere iunctas aliam post aliam ut deficerent aut permovit aut coëgit, in his Amphipolim urbem praepotentem, Strymonis fluvii claustra habentem, unde ad naves faciendas ligna petebant Athenienses.

Itaque fore non videbatur ut meliores pacis condiciones Peloponnesii diu etiam desiderarent, nam ipse rerum cursus civitatem Atheniensium eo trudebat quo speraverant quicunque sive in ipsis Athenis sive alibi favebant Spartae. Non subiecturi hanc erant Athenienses, sed amicitiae vinculis denuo sibi adiuncturi; ab Aristophane pacem etiam commendari, vel lacessi viros qui bellum finiri nollent, non erat necesse, quoniam res vel sic satis bene procedebant. Et vera pax licet tunc non sit facta, induciae certe sunt initae mense Martio anni 423.

Quo tempore Cleonem et qui ab eius parte stabant ita superarunt amici pacis, acta est Aristophanis fabula sequens. *Nubes* poeta ei indidit nomen. Quod chori nomen satis statim indicabat regionem, in qua versabatur. Ex malis enim civilibus musa poetam sublimem abripuerat in aërem puriorem. Equites fabula affinis fuerat Babyloniis, Nubium autem argumentum propius distabat a Daetalensibus. Nam iuventus quomodo educanda esset denuo quaerere comicus secum constituit. Nunc quoque sophistarum aliquem discipulum erat inducturus. Sed novi aevi huic alumno flagitiosissimo non, ut in primo ingenii foetu, iuvenem probum modestum pium erat oppositurus, quippe re expertus in pulpito languere istiusmodi virtutes, neque habere quo spectatorum oculos vel studia in se convertant. Neque requirebatur eiusmodi persona in ea quam moliebatur fabula; non enim filio male educato sed patri stulto primas partes erat tributurus, huic autem praeceptorem improbum, novae scientiae antistitem atque praeconem oppositurus.

Atticae filius genuinus est uterque, cum agricola, quem cum uxore et filio ex praedii opulentia et libertate intra urbis moenia compulit bellum, — nam hostes licet intra biennium proximum agros Atticos populati non sint denuo, quod si fieret, captivos Spartiatas se interemturos minati sunt Athenienses, dementiae tamen foret bello nondum finito rus redire, — tum praeceptor, qui Athenis dudum habitavit neque aliorsum mi-

grare vellet, etiamsi quam maxime posset. Cui non nocuit bellum: profuit potius; nam muris inclusa dum desidet et languet iuventus, variis disciplinis studio tumultuario dedere se coepit et disputando tempus terere, meliora quae agat non habens videlicet. Olim autem peregre quae inventabat mens humana, in Atticam identidem importabantur quidem et recens excogitata aliquantisper illic venditabantur, mox vero cum ipsis venditoribus non amplius comparebant; iam vero in ipso Atticae solo radices egit mira illa novi aevi sapientia. Anaxagoras homo Asianus, Gorgias Siculus, Protagoras e Thraciae ora oriundus, Hippias Peloponnesius, Diagoras Melius, Prodicus Ceus, alii viri plurimi Athenas cum devenissent hospites, doctrinam suam praesentibus nummis per temporis aliquod spatium tradiderunt auditoribus: Athenienses non erant. Prospere cum iis cessisset res, sacculo bene repleto alias regiones petebant. Quanto maiora iam instant pericula a Socrate Atheniensi! Ad quem iuvenes confluunt, quem caeca admiratione complectuntur et suspiciunt, humillimo loco natum nebulonem et vix liberali victu educatum. Is aures iam obtundit iuvenibus multis generosis ceterisque hominibus qui tempore, ut ipse, affluunt neque eius familiaritatem aspernantur, — modo cum Critia vel Alcibiade confabulatus, modo cum sutore aliquo e taberna vicina, de omnibus rebus quae sciri posse videantur, potissimum autem de iis rebus quae nequeant, sermones alios ex aliis sine fine serens. Rogitando is enecat omnes, ad quos cum quaestiunculis suis pervenire possit, nova quae roget habens semper. Ad Aristophanem quidem non pertinent illa taedia, nam sedulo hic cavet ne proximus sibi fiat homo molestus; probe tamen novit quomodo se gerat ille, aliter nimirum semper quam ceteri mortales. Nudis pedibus per urbis plateas obit, uno eodemque amiculo sive hiems est sive aestas indutus, saepe media in hominum turba consistens, ceu lapideus factus sit subito, oculos humi figens et supercilia ita ductans ut ingentis momenti aliquas res in deformi isto capite pertractari crederes, nisi sentires fallacia ista esse artificia viri gloriosi

476—483 = 541—548 cretici subiunctis anapaestis; in meras breves soluti sunt quini deinceps anapaesti 481 sq. = 546 sq.
484—538 et 549—607 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris et monometro.
539 sq. iambi tetrametri.
614 sq. trochaei tetrametri.
616—625 = 638—647 trochaei, quorum multae dipodiae in creticos abierunt.
626—637 et 648—657 trochaei tetrametri.

658—671 = 682—695 trochaei intermixtis creticis. Initium hoc est:



672—681 = 696—705 trochaei tetrametri.

770—776 versus heroici.

781—804 = 805—828 trochaei saepius intercisi multisque creticis admixtis:



sequuntur dimetri octo.

954—979 anapaesti dimetri et monometri.

1014—1042 trochaei tetrametri; plerorumque (1014—1035) dipodia tertia est ⏑ – ⏑ –.

1043—1057 = 1058—1071 = 1189—1202 = 1203—1215 trochaei dimetri et monometri admixtis creticis.

1072 sq. et 1108—1111 anapaesti tetrametri.

1247—1293 dactylo-trochaei intersertis duobus iambis dimetris (1273 sq.). Numeri hi sunt:





1295—1297 iambi tetrametri.

1306—1317 dactylo-trochaei:



1318—1321 clamores finales:



## THESMOPHORIAZUSAE.

39—62 anapaesti dimetri et monometer.

101—125 dimetri ionici:





312—314 iambi dimetri.

315—330 dactylo-trochaei:



352—371 iambi, dein choriambi, tum glyconei, denique iambi rursus. Corruptus est versus 367.

381 sq. iambi tetrametri.

433—442 = 520—530 trochaei dimetri et monometer. Praemissus est versus sic intercisus:



459—465 trochaei dimetri et monometer.

531—573 iambi tetrametri.

655—658 anapaesti tetrametri.

659—666 trochaei tetrametri subiunctis dimetris.

667—673 = 707—713 anapaesti dimetri et monometri.

674 = 714 trochaeus tetrameter.

675—686 = 715—725 dochmii intermixtis iambis et trochaeis.

687 sq. = 726 sq. trochaei tetrametri.

700 sq. dochmii.

702—706 trochaei tetrametri.

776—829 anapaesti tetrametri praemissis et subiunctis dimetris et monometro. Catalectici dimetri 779 et 781 ad tragicae gravitatis instar e meris longis praeter morem sunt compositi.

830—845 trochaei tetrametri.

914 sq. dochmii.

947—952 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris.

953—958 et 959—962 = 963—965 et 966—968 trochaei dimetri et monometri. Initium est:



et tres monometri (959, 963, 966) sic sunt conformati:



969—976 = 977—984 et 985—989 iambi dimetri. Interserti sunt trimetri 975 983, 985, et versus 988 si sanus [1]) sic conformatus:



990—994 = 995—1000 choriambi:



1015—1017 dochmii subiunctis trochaeis.

---

[1]) Legendumne *σύ, κισσοφόρε Βάκχε· ἄναξ κώμοις δ' ἐγώ?*

1018—1021 iambi ex Euripide desumti, qui sic sunt intercisi:



1022—1028 iambi dimetri.

1029—1055 monodia numeros Euripideos imitata; numeri sunt iambici (trochaici) intermixtis dochmiis (1037, 1039 sq.), dein dactylo-trochaici:



1065—1097 anapaesti dimetri et monometri. Primi hi sunt:



1136—1159 glyconei (a dactylo orsi plerique). Versus 1136 in sede tertia habet tribrachyn; intermixti sunt dimetri duo (1143 sq.) sic intercisi:



et subiuncti sunt dactyli.

1227 sq. anapaesti tetrametri.

## RANAE.

209—267 trochaei et iambi, dimetri plerique:



seqq.

323—336 = 340—353 ionici. Initium hoc est:



354—371 et 382 sq. anapaesti tetrametri.

372—376 = 377—381 anapaesti in meros spondeos contracti (uno nomine proprio *Θωρυκίων* 381 excepto).

384—388 = 389—393 iambi dimetri.

395 sq. iambi tetrametri intercisi.

397—402 = 403—408 = 409—413 iambi (trimetri catalectici duo, monometer, dimetri).

416—439 iambi: octies deinceps collocati sunt duo dimetri catalectici cum trimetro integro.

440—447 iambi tetrametri intercisi.

448—453 = 454—459 iambi dimetri duo subiunctis tribus glyconeis et pherecrateo acephalis.

534—548 = 590—604 trochaei dimetri.

674—685 = 706—717 dactylo-trochaei canticum Ionis tragici iocose imitati.

686—705 = 718—737 trochaei tetrametri.

814—829 quater deinceps positi sunt heroici versus duo cum pentapodia dactylica et trochaeo dimetro catalectico.

875—884 dactyli: heroici versus tres cum quinque tetrametris, quorum ultimo subiuncta est tripodia trochaica.

895—904 = 992—1003 trochaei dimetri et monometer.

905—991 iambi tetrametri subiunctis dimetris.

1004—1098 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris et monometro.

1099—1108 = 1109—1118 trochaei dimetri.

1251—1260 glyconei.

1264 - 1277 et 1285—1295 dactyli et dactylo-trochaei (partim cum anacrusi) ex Aeschyli dramatis desumti. Interserti sunt anapaesti dimetri duo (1269 et 1272).

1309—1328 dactylo-trochaei subiunctis glyconeis artem Euripidis ludicre imitati:



sequuntur glyconei.

1331—1363 monodia dactylo-trochaica [1]) ad Euripidis artem irridendam composita:



[1]) Dochmii sunt intermixti 1353—1355.



1370—1377 = 1482—1490 = 1491—1499 trochaei dimetri.

1500—1527 anapaesti dimetri et monometri.

1528—1533 versus heroici.

## ECCLESIAZUSAE.

285—288 iambi tetrametri.

289 = 300 iambus tetrameter medius intercisus sed sine catalexi.

290—299 = 301—310 glyconei et pherecratei acephali.

478—503 iambi tetrametri monometer dimetri. Praemissi sunt hi numeri:

514—519 anapaesti tetrametri.

571—580 dactylo-trochaei lyricam gravitatem iocose imitati.

581—709 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris et monometris.

893—899 et 900—905 = 906—911 trochaei dimetri. Intercisi sunt 900 = 906, a dactylo ordiuntur 902 = 907 et 905 = 911.

912—923 iambi dimetri et trimeter; choriambici sunt plerique, glyconei complures, interserti autem sunt trimetri duo 914 et 920 nihil insoliti habentes (non cantandi sed dicendi):




938—941 = 942—945 dactylo-trochaei (hendecasyllabi sunt 938 sq. et 942 sq.)



951—959 = 960—968 dactylo-trochaei:



969—972 = 973—975 choriambi tetrametri duo, dein:



1155—1178 trochaei tetrametri subiunctis monometro et dimetris item trochaicis, dein dactylicis, sed ad rhythmum trochaicum reditur.

1179—1182 clamores finales:



## PLUTUS.

253—321 iambi tetrametri intersertis sub finem dimetris.

487—618 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris et monometris.

637 et 639 sq. dochmii.

1208 sq. anapaesti tetrametri.

# De fabularum Aristophanearum compositione.

# De fabularum Aristophanearum compositione.

A canticis initium habuit comoedia; in choro primitus ei fuerunt omnia, dein plurima, etiam postquam certamina comica inter sollemnia publica sunt recepta. „Chorum" tunc a magistratu „petebant" poetae eiusmodi certamen inire cupientes; „chorum" hic „dabat" ternis poetis, postea quinis, quorum fabulae scena dignae ei viderentur. Sine actoribus cum choro vel inter se colloquentibus prisca aliqua comoedia cogitari potest: sine choro nulla est.

Itaque Aristophanes operibus suis chorum nunquam non immiscuit; ne tum quidem omisit chorum cum partes quas ei tribueret aut vix ullas haberet, ut in Ranis, aut nullas omnino, ut in Pluto.

*Chori* igitur *introitus* initium facit comoediae, finem *chori exitus*. Ludendi occasionem praebere solet chori cum histrione vel hemichoriorum inter se — ut in Lysistrata — *contentio*; choro arbitro *certamen verborum* haberi solet, et in senis poetae fabula Pluto certamen nullo arbitro initum — nam adest quidem chorus, sed nulla eius habetur ratio — luculenter testatur cum temporibus ipsam artem comicam esse mutatam. *Interludit* denique chorus inter fabularum actus laudes deorum aliisve de

argumentis cantica canens et ducis ore spectatores alloquens [1]). Quae interlusiones lectori hodierno facile possint videri ornamenti causa esse additae: revera ipsam comoediam efficiunt, actorum autem colloquia et soliloquia ad chori illos κώμους καὶ ᾠδὰς inter se colliganda primitus sunt addita.

Sed Aristophanes quoniam ab artis comicae primordiis procul remotus Cratinique vestigia legens e iocis iurgiisque scurrilibus haud ita firmiter inter se iunctis fecit veras fabulas certo aliquo ab argumento deductas optimeque cohaerentes, non prisco more choro exordium fabularum solet tribuere, sed unum pluresve actores facit praefantes. Sic etiam fabularum tragicarum initium olim fuit chori introitus, — quam rem etiamnunc testantur Aeschyli Supplices Persae Myrmidonum fragmenta, — postea actorum verba.

*Praefatio* igitur prima est fabularum Aristophanearum pars [2]). In qua fit argumenti expositio et spectatores de rebus quae sciendae sunt certiores redduntur, simplicius in primis fabulis ab histrione secum deliberanti vel spectatoribus fabulae materiem enarranti, posterioribus vero in fabulis artificiosius et ita ut ipsa poetae ars latitet. Sic autem prolusio illa, quae cum ipsa fabula laxius olim cohaerebat, penitus sensim cum ea concrevit, corporis solidi atque integri caput exinde dicenda.

Chorum autem quoniam non introduci tantum in orchestram oportebat sed et fabula finita inde abduci, ut alii choro aliisque histrionibus fieret locus, *exitum* facere solet choreutarum laeta pompa eum qui primarum est partium domum suam vel aliorsum deducentium victorem. Cuiusmodi exitum cum res non fert, — in Nubibus et in Thesmophoriazusis, — languidiorem

---

[1]) Choreutae cum ad spectatores se convertunt sive παράβασιν ποιοῦνται, ponunt si quid tenebant molestum iam iis futurum, quales sunt in Pace fabula ligones et rastra, quibus deam ex antro liberarunt. Res etiam potest ferre ut vestem ponant, ut in Acharnensibus Lysistrata Thesmophoriazusis. Sed manent παραβαίνοντες qui sunt in ipsa fabula: equites ex equo non descendunt, aves non ponunt rostra vel caudas, vespae servant aculeos, feminae non fiunt viri.

[2]) In Ecclesiazusis inde a primis versibus adsunt feminae e quibus fit chorus veram praefationem igitur ea fabula non habet.

aliquanto hunc finem habet fabula ut post verba „abeamus: satis lusimus" dux chorum abducat tacitum [1]).

Argumenti expositionem actusque initium postquam praebuit praefatio, chorus intrat orchestram [2]) vel etiam citato pede in eam irruit; dein illic se constituit, saepe post aliquam cum actoribus *contentionem*. Tum *verborum certamen* haberi solet, cui proprii fere sunt anapaesti tetrametri, sed etiam trochaei iambique tetrametri eiusmodi certaminibus sunt apti. Prima autem statim fabula ex iis quae aetatem tulerunt Acharnenses testatur non certum aliquem hac in re valuisse morem, quae fabula pro certamine versibus tetrametris concepto habet Dicaeopolidis causam orantis iambos trimetros; similis est Thesmophoriazusarum fabulae compositio, et omni verborum certamine caret Pax fabula. Neque certam sedem in fabulis habent eiusmodi certamina. Solent fieri *ante chori interlusionem*, sed *post* illam fit certamen in Nubibus — quae fabula etiam alterum dein habet certamen — et in Ranis, in Equitibus autem et ante et post interlusionem certatur et sub finem demum fabulae ad exitum certamen deducitur. Interdum chorus et *alteram* ad spectatores habet allocutionem, anapaestis tamen tetrametris carentem. In Lysistrata interlusionis loco est hemichoriorum contentio; in Ranis interlusio bifariam est diremta, prior autem pars cohaeret cum rebus quae aguntur, interlusio igitur iure dici nequit; in Ecclesiazusis et in Pluto interlusio nulla.

Chorus in priore fabularum parte egregie defendit partes actoris, immo tot actorum quot sunt choreutae. Qui ut primum prodierunt in orchestram, rebus se immiscent strenue, histriones vi minisque adorti vel etiam — ut fit in Pace fabula — commune aliquod consilium cum iis exequentes; excipiendae sunt Ranae et Plutus fabulae, quarum altera choro tantum non prorsus caret, altera habet quidem chorum sed spectato-

---

[1]) Fabulae pars ea, quae est post ultimum chori canticum, tota exitus dici solet nomine minus apto.

[2]) Sine cantu fit choreutarum introitus in Thesmophoriazusis et in Ecclesiazusis.

rum potius quam actorum officio fungentem. In posteriore fabularum parte, quae olim satis exilis fuisse videtur nec nisi sensim excrevisse in eam quam ex Aristophanis operibus novimus amplitudinem speciosam, placidiores quam antea stabilioresque se praestant choreutae; per rerum quae aguntur intervalla canunt saltandoque cantica comitantur: ab histrionibus se abstinent. Unus dux chori usque ad fabularum exitum identidem cum actoribus colloquitur, disputantes adhortatur, de eorum orationibus suo sodaliumque nomine sententiam fert — plane ut in dramatis tragicis solet fieri.

Actorem, plerumque choro prius oppositum atque invisum, dein amicum, unum certe omnis habet comoedia, nec plures habuere fabulae vetustissimae. Postea et aliae accessere personae, quarum partes poetae ita sunt moderati ut alter quidam histrio ad eas omnes agendas sufficeret. Talis fere est *Acharnenses* fabula, quae in uno Dicaeopolide tantum non tota vertitur; etiam tertio alicui actori poeta in ea tribuit partes aliquas perexiguas, et duos praeterea viros duosque pueros introduxit, qui praeconem, falsum legatum, puellulas Megaricas non plane taciti agerent, vix tamen digni qui quartus quintus sextus septimus vocarentur actores. In Nubibus vero quarti actoris Iustum Oratorem agentis sunt partes magni momenti. In plerisque autem fabulis praeter personas mutas in proscenio tres simul actores saepe adsunt, et in Ranis tres histriones egregie periti requirebantur ad Dionysi Aeschyli Euripidis partes apte reddendas.

Singularum fabularum superstitum haec est structura [1]):

## ACHARNENSES.

I. Praefatio (1—203).
Dicaeopolidis soliloquium (1—42).
Concio habetur (43—173).
Pacem cum Lacedaemoniis Dicaeopolis init solus (174—203).
*Introitus chori* (204—240).

---

[1]) Ad *chorum* quae pertinent *litteris inclinatis* sunt excusa.

II. Contentio et verborum certamen (241—625).
Dicaeopolis pompam agit Dionyso (241—279).
*Chorus cum Dicaeopolide contendit* (280—365).
Dicaeopolis ad causam orandam se parat (366—384).
*A choro incitatur* (385—392).
Ab Euripide petit habitum miserabilem (393—488).
*A choro denuo increpatur* (489—496).
Causam orat (497—556).
*Hemichoria inter se contendunt* (557—571).
Lamacho verbis superato Dicaeopolis victor e certamine evadit (572—625).

---

*Chori interlusio* (626—718).

---

III. Megarensis adit Dicaeopolidem (719—835).
*Chori canticum* (836—859).
IV. Boeotius adit Dicaeopolidem (860—928).
*Chori Dicaeopolidis Boeotii canticum amoebaeum* (929—951).
Lamachi minister adit Dicaeopolidem (952—970).
*Chori canticum* (971—999).
V. Praeco sollemne publicum indicit (1000—1007).
*Chori et Dicaeopolidis canticum amoebaeum* (1008—1017).
Rusticus adit Dicaeopolidem (1018—1036).
*Chori et Dicaeopolidis canticum amoebaeum* (1037—1046).
Paranymphus adit Dicaeopolidem (1047—1068).
A nuntio Lamachus ad militiam nocturnam, ab altero nuntio Dicaeopolis in convivium vocati abeunt ambo (1069—1149).
*Chori canticum* (1150—1173).
VI. Vulneratus redit Lamachus e bello, victor e bibendi certamine Dicaeopolis; hic pompa laeta, ille lugubri abducitur (1174—1234).

## EQUITES.

I. Praefatio (1—246).
Servorum colloquium (1—149).
Accedit isiciarius (150—234).
Paphlago prodit (235—246).
*Chorus irruit in Paphlagonem* (247—272).
II. Contentio et verborum certamen (273—502).
Isiciarii chorique cum Paphlagone iurgia; ad senatum Paphlago et isiciarius abeunt.

---

*Chori interlusio* (503—610).

---

III. Redit isiciarius (611—615).
*Chorus isiciarium exhortatur* (616—623).

Isiciarius quid egerit refert (624—682).
*Chorus isiciarium iterum exhortatur* (683—690).
Paphlago item redux advocat Demum dominum (691—755).
Isiciarii et Paphlagonis coram Demo certamen (756—972).
*Chori canticum* (973—996).

IV. Alterum eorum certamen (997—1110).
*Chori et Demi canticum amoebaeum* (1111—1150).
Tertium eorum certamen; victor evadit isiciarius (1151—1262).

---

*Chori interlusio altera* (1263—1315).

---

V. Prodit Demus novam iuventutem nactus. Laeta pompa abducuntur ille et isiciarius (1316—1408).

## NUBES.

I. Praefatio (1—274).
Strepsiades secum mussitat (1—79).
Filium scholam Socratis adire frustra iubet (80—125).
Ipse Socratem adit (126—274).
*Introitus chori* (275—363).

II. Disputatio (364—511).
Socrates seni persuadet disputando (364—477).
In scholam senex recipitur (478—511).

---

*Chori interlusio* (512—626).

---

III. Senem Socrates docere incipit (627—699).
*Chori ad senem exhortatio* (700—706).
Senis a cimicibus morsi querelae (707—722).
Senem docere Socrates frustra conatus e schola dimittit (723—803).
*Chori ad Socratem exhortatio* (804—813).
Senex filium suo loco in scholam adducit (814—888).
Iusti iniustique oratorum certamen (889—1114).
Iurgia (889—948).
*Chorus adversarios exhortatur* (949—958).
Iusti oratio (959—1023).
*Chorus denuo adversarios exhortatur* (1024—1035).
Iniusti oratio (1036—1104).
Senex filium Socrati tradit docendum (1105—1114).

---

*Chori interlusio altera* (1115—1130).

---

IV. Senex filium recipit a Socrate eruditum (1131—1213).
Filius patris creditores frustrat (1214—1302).
*Canticum chori* (1303—1320).

V. Senis cum filio certamen (1321—1452).
Iurgia (1321—1344).
*Chori ad senem exhortatio* (1345—1352).
Senis oratio (1353—1390).
*Chori ad filium exhortatio* (1391—1398).
Filii oratio (1399—1452).
Senex a filio male mulcatus et verbis superatus domum Socratis incendit (1453—1510).

## VESPAE.

I. Praefatio (1—229).
Servorum colloquium (1—53).
Alter servus spectatoribus senis morbum narrat (54—135).
Senex evadere frustra conatur (136—229).
*Introitus chori* (230—316).
II. Contentio et verborum certamen (317—724).
Senex foras effugere etiam conatur (317—402).
*Chori opem ei ferentis clamores* (403—414).
Pugna et iurgia (415—462).
*Chori repulsi clamores* (463—470).
Senis cum filio coram choro disputatio (471—724).
Paratur verborum certamen (471—525).
*Chorus senem exhortatur* (526—547).
Senis oratio (548—630).
*Chorus senem laudat* (631—649).
Filii oratio (650—724).
*Chori cum filio et patre canticum amoebaeum* (725—759).
Senex domi ius dicit (760—1008).

---

*Chori interlusio* (1009—1121).

---

III. Senex sanatus vitae humaniori conciliatur (1122—1264).

---

*Chori interlusio altera* (1265—1291).

---

IV. Senex ebrius convivis aliisque civibus proterve insultat (1292—1449).
*Chori canticum* (1450—1473).
V. Saltando postquam vicit senex, saltantes abeunt omnes (1474—1537).

## PAX.

I. Praefatio (1—300).
Servorum colloquium (1—42).
Alter servus spectatoribus narrat consilium heri (43—81).
Trygaei caelum versus iter (82—179).
Regiam caelestem a Belli deo occupatam invenit (180—300).
*Introitus chori* (301—360).

II. Contentio ad Pacem recuperandam (361—728).
Intercedit Mercurius (361—382).
*Chorus precatur Mercurium* (383—399).
Exoratur Mercurius (400—425).
In lucem protrahitur Pax (426—519).
Salutatur Pax (520—600).
Paci quid acciderit refert Mercurius (601—656).
De rerum statu praesenti certior fit Pax (657—705).
Trygaeus cum Pomona et Theoria in terram redit (706—728).

*Chori interlusio* (729—818).

III. Trygaeus domum redit (819—855).
*Chori cum Trygaeo canticum amoebaeum* (856—867).
Trygaeus Theoriam reddit senatoribus (868—908).
*Chori cum Trygaeo canticum amoebaeum* (909—921).
Trygaeus Paci sacrificium parat et precatur (922—1022).
*Chori cum Trygaeo canticum amoebaeum* (1023—1038).
Trygaeus Paci sacrificat et vatem molestum abigit (1039—1126).

*Chori interlusio altera* (1127—1190).

IV. Trygaeum visunt institores (1191—1264).
Convivarum filii carmina recitant (1265—1304).
*Chori cum Trygaeo canticum amoebaeum* (1305—1315).
Laeta pompa Trygaeus et Pomona nova eius uxor rus abducuntur (1316—1367).

## AVES.

I. Praefatio (1—259).
Ad epopem regem avium veniunt Pisetaerus et Euelpides (1—91).
Cum eo colloquuntur (92—161).
Novae civitatis condendae consilium ei persuadet Pisetaerus (162—208).
Aves convocat epops (209—259).
*Chori introitus* (260—309).

II. Contentio et verborum certamen (310—675).
Aves in advenas impetum parantes retinet epops (310—405).
*Chori cum epope canticum amoebaeum* (406—434).
Pisetaero datur facultas ad dicendum (435—450).
*Chorus Pisetaerum exhortatur* (451—461).
Pisetaeri orationis pars prior (462—538).
*Chorus Pisetaero plaudit* (539—549).
Pisetaeri orationis pars altera (550—626).
*Chorus Pisetaeri consilium probat* (627—637).
Pisetaerus dux electus in avium civitatem recipitur (638—675).

*Chori interlusio* (676—800).

III. Pisetaerus novae urbi nomen dat (800—850).
*Chorus Pisetaerum novis numinibus sacrificaturum exhortatur* (851—858).
Pisetaerus sacrificium parat (859—894).
*Chorus denuo Pisetaero accinit* (895—902).
Pauper poeta supervenit et donatus abit (903—957).
Supervenientes sortilegus, mathematicus, inspector, legislator vi et flagris abiguntur (958—1057).

*Chori interlusio altera* (1058—1117).

IV. Novae urbis murus nuntiatur extructus (1118—1167).
Alter nuntius caelitem aliquem urbis portas violasse refert (1168—1187).
*Chorus ad vim vi repellendam se parat* (1188—1195).
Iris deorum nuntia in terram iter facere prohibetur (1196—1261).
*Chorus caelites a terra seclusos gloriatur* (1262—1268).
Pisetaero auream coronam, prudentis consilii praemium, a mortalibus ei decretam affert praeco (1269—1312).
*Chori et Pisetaeri carmen amoebaeum* (1313—1334).
Novam civitatem visunt iuvenis quidam, Cinesias dithyrambicus poeta, sycophanta (1335—1469).
*Chori canticum* (1470—1493).
V. Pisetaerum visit Prometheus (1494—1552).
*Chori canticum* (1553—1564).
VI. Pisetaerum visunt legati deorum et pacis condiciones ab eo accipiunt (1565—1693).
*Chori canticum* (1694—1705).
VII. Pisetaerus novus mundi dominus cum Iovis filia in matrimonium accepta domum laeta pompa deducitur (1706—1765).

## LYSISTRATA.

I. Praefatio (1—253).
Conveniunt mulieres (1—96).
Lysistrata duce coniurationem ineunt (97—239).
Arcem occupant (240—253).
*Introitus hemichorii virorum, dein hemichorii mulierum* (254—349).
II. Contentio et verborum certamen (350—613).
Viri ignem arci inferentes a mulieribus repelluntur (350—386).
Magistratus cum sagittariis eas adortus item repellitur (387—466).
*Hemichoriorum iurgia* (467—483).
Lysistrata consilium suum exponit (484—538).

*Mulieres exhortantur Lysistratam* (539—547).
Altera orationis Lysistratae pars (548—607).
In verborum certamine superatus magistratus abit (608—613).
*Hemichoria iurgiis et minis denuo inter se insectantur* (614—705).

III. Arcem deserere gestientes mulieres ut in consilio maneant permovet Lysistrata (706—780).
*Hemichoriorum nova iurgia* (781—828).

IV. Cinesias uxorem ut ad se redeat permovere frustra conatur (829—979).
Praeconi a Lacedaemoniis misso mandatur ut legatos de pace mittere cives suos iubeat (980—1013).
*Hemichoria in gratiam inter se redeunt* (1014—1072).

V. Legatos Lacedaemoniorum et Atheniensium ut pacem inter se ineant permovet Lysistrata, dein in arcem in convivium vocat (1073—1188).
*Chori iuncti canticum* (1189—1215).

VI. Convivae multo vino elati ex arce prodeunt (1216—1246).
Cantant legati Lacedaemoniorum (1247—1299).
Laeta pompa cantantes abeunt omnes (1300—1321).

## THESMOPHORIAZUSAE.

I. Praefatio (1—294).
Euripides affinem ducit ad Agathonem (1—129).
Hoc adiuvante affinem in habitum femineum exornat (130—265).
Affinis mulieribus Bonarum Dearum sollemne celebrantibus se immiscet (266—294).
*Introitus chori* (295—371).

II. Contentio et verborum certamen (372—654).
Accusatur Euripides: Miccae oratio (372—432).
*Plaudit chorus* (433—442).
Alterius feminae in Euripidem oratio (443—458).
*Denuo plaudit chorus* (459—465).
Personata mulier pro Euripide verba facit (466—519).
*Orationem eius improbat chorus* (520—530).
Iurgia (531—573).
Fraude sacrilega detecta affinis Euripidis retinetur captivus (574—654).
*Chori canticum* (655—688).

III. Captivus abrepto Miccae infantulo in aram confugit (689—698).
*Chori minae* (699—727).
Captivus Miccae infantulum sive utrem iugulat et Euripidem ut arcessat operam dat (728—784).

---

*Chori interlusio* (785—845).

---

IV. Captivum Euripides Menelai sui persona induta periculo subducere frustra conatur (846—928).

Captivum patibulo alligari iubet magistratus (929—946).
*Chori canticum* (947—1000).
V. Captivus alligatus fatum suum luget et cum Echo colloquitur (1001—1097).
Euripides novo artificio eum liberare frustra conatur (1098—1135).
*Chori canticum* (1136—1159).
VI. Euripides captivum tertio artificio liberatum abducit (1160—1231).

## RANAE.

I. Praefatio (1—315).
Inferos Dionysus cum servo Xanthia petens visit Herculem (1—164).
Pervenit ad Charonem (165—207).
Ranarum et Dionysi canticum amoebaeum (208—268).
Per regionem infernam Dionysus cum servo procedit (269—315).
*Introitus chori* (316—459).
II. Contentio (460—673).
Dionysus a Plutonis ianitore increpatur (460—502).
A Proserpina in cenam invitatur (503—533).
*Chorus Dionysum laudat* (534—548).
Iurgia cauponae (549—589).
*Chorus exhortatur Xanthiam* (590—604).
A Plutonis ministris capti Xanthias et Dionysus vapulant (605—673).

---

*Chori interlusio* (674—737).

---

III. Certamen poetarum tragicorum (738—1481).
Paratur certamen (738—813).
*Chorus instans certamen cantico celebrat* (814—829).
Iurgia poetarum (830—874).
*Chorus musas advocat* (875—884).
Poetae ad numina sua precantur (885—894).
*Chorus poetas ad verborum certamen exhortatur* (895—906).
Oratio Euripidis (907—991).
*Chorus Aeschylum exhortatur* (992—1005).
Oratio Aeschyli (1006—1098).
*Chorus ut alter alterius dramata explorent ambos exhortatur* (1099—1118).
Examinantur prologi: inferior evadit Euripides (1119—1250).
*Chorus Aeschylum laudat* (1251—1260).
Examinantur cantica: denuo Euripides inferior (1261—1369).
*Chorus Aeschylum iterum laudat* (1370—1377).
Examinatur pondus versuum: nunc quoque Euripidem superat Aeschylus (1378—1410).
De rebus publicis quid sentiant ambo dicunt, dein sententiam ferre iussus Dionysus praefert Aeschylum (1411—1481).

*Chori canticum* (1482—1499).

IV. Pompa sollemni ab inferis reducitur Aeschylus (1500—1533).

## ECCLESIAZUSAE.

I. Mulieres conveniunt a Praxagora convocatae (1—115).
Populi concioni se immixturae in habitum virilem se componunt (116—284).
*Canticum mulierum in concionem abeuntium* (285—310).

II. Virorum vestibus suis destitutorum colloquium (311—371).
Vir e concione rediens quid illic decretum sit refert (372—477).
*Canticum mulierum e concione redeuntium* (478—503).

III. Contentio et verborum certamen (504—729).
Praxagorae cum marito irato colloquium (504—570).
*Chorus Praxagoram exhortatur* (571—582).
Praxagora disputando vincit (583—729).

IV. Civium duorum colloquium (730—876).

V. Puellae et vetulae iurgia (877—892).
Ambarum canticum amoebaeum (893—923).
Nova iurgia (924—937).
Ambarum et iuvenis canticum amoebaeum (938—975).
A vetulis correptus iuvenis abducitur (976—1111).

VI. Ad cenam communem chorus publice invitatus laeto coetu abit (1112—1182).

## PLUTUS.

I. Chremylus Plutum caecum deum in domum suam ducit (1—252).
*Chori introitus* (253—321).

II. Contentio et verborum certamen (322—618).
Chremyli cum Blepsidemo colloquium (322—414).
Supervenit Paupertas (415—486).
Paupertas disputando evincit necessariam se esse (487—592).
Pellitur tamen Paupertas (593—618).
In templum Aesculapii Plutus abducitur sanandus (619—626).

III. Sanatum Plutum nuntiat Cario servus (627—770).

IV. Redit Plutus in domum Chremyli (771—801).

V. Chremylum ditatum nuntiat Cario (802—822).
Vir probus venit deo gratias acturus (823—849).
Sycophanta cum deo expostulaturus contumeliose abigitur (850—958).

VI. Anus a iuvene amatore spretam se conqueritur (959—1041).
Iuvenis anum irridet (1042—1096).

VII. Mercurius esuriens Carioni servo ministrum se offert (1097—1170).

VIII. Iovem iam neglectum queritur eius sacerdos (1171—1196).

IX. In arcem deducitur Plutus (1197—1209).

# De fabularum Aristophanis textu tradito.

# De fabularum Aristophanis textu tradito.

## I. De editionibus antiquissimis.

Fabulas quadraginta quatuor Aristophanes scripsisse dicitur in Vita [1]; sive plures non fecit, sive spretae quaedam aliasve ob causas pridem interierunt. Additur illic: „quatuor *Poesin Naufragum Insulas Niobum* a quibusdam Archippo fuisse tributas." Quae opinio I° demum vel II° post Christum natum saeculo est orta [2], causa autem videtur fuisse male lecta inscriptio editionis, cuius singula volumina quatuor comoedias complecterentur, *APX* pro *APIC* [3].

Quadraginta quatuor fabularum nomina revera habemus tradita. Tria tamen de hac summa utique sunt demenda, quoniam *Nubes Pax Plutus alterae* commemorantur quidem hic illic, sed nullae fuerunt [4]; itaque etiam de *Aeolosiconis* editione altera,

[1]) § 13. Cf. supra pag. 174.

[2]) Post Didymum, qui Insularum fragmentum quoddam ita affert ut appareat eum ne dubitasse quidem quin genuina ea esset Aristophanis fabula (cf. schol. Av. 440), sed ante Pollucem, qui de Insulis fabula loquitur ut de suspecta (IX 89). Etiam in Photii lexici ea parte, quam nuper evulgavit Reitzenstein, saepius Aristophanis Insulae afferuntur inter documenta dictionis idoneae, nulla addita mentione originis dubiae; itaque priscos grammaticos, unde pendet Photius, pro genuina habuisse illam fabulam hinc quoque apparet.

[3]) Ordine alphabetico iunctae erant fabulae *Ναναγός Νῆσοι Νιόβος*. — Cf. Mnemos. 1888 p. 286—288.

[4]) Cf. quae in Prolegomenis ad *Nubes, Pacem, Plutum* disputavi.

quam fabulam non nisi e fragmentis quibusdam cognitam habemus, diffidenter loqui nos par est: equidem hoc quoque nomen errori alicui deberi arbitror, cum praesertim unam tantum Aeolosiconem cognovisse videantur qui Vitam comici et Prolegomena de Comoedia scripserunt [1]).

Restant *quadraginta* fabularum nomina. Aut igitur quatuor nomina latent, aut plures fabulae Alexandriam non pervenerunt et qui quadraginta quatuor fabulas comico tribuebant duplices numerabant Nubes Pacem Plutum Aeolosiconem.

Fabulae quin ab ipso poeta in lucem fuerint editae non est quod dubitemus. Ne id quidem dubium videtur quin brevi postquam in certamine publico primum essent actae apud bibliopolas prostiterint. Id quod et ratio fert, — nam tum praesertim, cum novae fabulae fervet gratia, multi sunt qui cognoscere eam cupiant, — tum ex Ranarum quodam loco efficitur, ubi quod „exercitati iam esse" dicuntur spectatores, „quippe qui suo singuli libello iam sint muniti", miserrime langueret ille iocus si artis sive litterariae sive strategicae nescio quae enchiridia illic essent intellegenda. Versibus illis, quos postmodo additos arbitror, comicus ait fabulam tum, cum primum in certamine Dionysiaco spectaretur, difficiliorem intellectu quibusdam certe auditoribus esse visam, propter crebros locos ex Aeschyli Euripidisque dramatis allatos; iam vero, postquam etiam perlegere eam potuerint et sedata mente secum perpendere, non posse etiam molestam esse cuiquam; festive autem fingit poeta singulos spectatores exemplar apud bibliopolam emtum manu iam tenere [2]). Fortasse ex comici his verbis praeterea efficere licet Ranarum editionem principem in margine habuisse — et quidni habuerit? — adscripta talia: „*Αἰσχύλος Μυρμιδόσιν, Εὐριπίδης Μελεάγρῳ*" similia.

---

[1]) Cf. Pluti hypothesis III et Platonius supra pag. 185 § 8 et 10.

[2]) Ran. 1109—1118. Cf. Syllog. Comment. in hon. Conti conscript. 1893 p. 65 sqq.

Ceterum cuiusmodi fuerit ratio qua tunc temporis dramata in chartis exarabantur, haud ita difficulter nobis fingimus. Diverbiorum ceterarumque partium *κατὰ στίχον* compositarum singuli versus a nova linea incipiebant, perinde atque carmina epica; lyricae vero partes haud aliter perscribebantur quam si prosa oratione essent conceptae. Sic Timothei carmen lyricum in papyro IV[1] vel III[1] ante Christum saeculi extat exaratum, item Paean quem Isyllus in Aesculapii honorem ineunte saeculo II° ante Christum composuit in lapide Epidaurio [1]), et Ariphronis Sicyonii in Hygieam hymnus in lapide Attico [2]). Et e scenica poesi ut addatur exemplum, in fragmento papyri III[1] ante Christum natum saeculi sic scripti sunt anapaesti dimetri, quibus dramata nonnulla Euripidis clauduntur:

*πολλαι μορφαι των | δαιμονιων πολλα | τ αελπτως κραινου | σι θεοι: και τα δοκη | σαντ* (sic) *ουκ ετελεσθη | των δ αδοκητων | πορον ευρεν θεος | τοιονδ απεβη το | δε πραγμα* [3]).

Neque hinc alieni sunt pentametri trochaici a Callimacho compositi [4]), quorum primus hic est:

*ἔρχεται πολὺς μὲν Αἰγαῖον διατμήξας ἀπ' οἰνηρῆς Χίου.*

Nam inde apparet Callimachum pro uno versu habuisse dimetrum cum monometro alteroque dimetro catalectico, quibus numeris apud comicum clauduntur nonnullae orationes longiores, e. g.:

*ἑστιᾶσθαι, κοτταβίζειν, | πυδαρίζειν, | ἰοῦ, ἰοῦ κεκραγέναι.*

Inde ab ipsorum poetarum scenicorum tempore, ut postea, paragrapho (——) indicatae esse videntur personarum vices, quae versuum fiunt initio, duplici autem puncto (:, *ταῖς δύο στιγμαῖς*) quae in mediis versibus; certe iam circa annum 300 ante Chr.

---

[1]) Dialekt-Inschr. Collitz 3342. Ubi qui antecedunt et sequuntur tetrametri trochaici et versus heroici, *κατὰ στίχον* lapidi sunt incisi.

[2]) C.I.G. 511.

[3]) Hibeh papyri I (1906) n° 25. Simili ratione in alia papyro, quae eiusdem aetatis est (n° 24), perscripti sunt Iph. Taur. 178—191.

[4]) Anthol. XIII 9. Cf. Christ Metrik[2] p. 305, Hephaest. de Carmin. 5.

ea signa ita sunt adhibita in papyro comicum aliquod drama complexa [1]).

Brevi post medium saeculum III^um^ ante Chr. singularem curam et aliorum poetarum et comicorum operibus impendit vir in paucis doctus et prudens Aristophanes Byzantius, qui Bibliothecae Alexandrinae aliquantisper fuit praepositus, discipulus Callimachi, Zenodoti, Eratosthenis, Machonis poetae comici, Euphronii, Dionysii Iambi. Qui poetarum lyricorum et scenicorum editiones paravit aliquanto quam quae antea circumferebantur utiliores et gratiores legentibus. Nam et textum quam poterat optime recensuit [2]) et carmina in versiculos concinnos ita diremit sive *ἐκώλισεν* ut etiamnunc in codicibus leguntur perscripta [3]). Cuius studii insigne monumentum praebet Bacchylidis papyrus saeculo ante Christum I° scripta.

Carminum dividendorum officio *quomodo* functus esset Aristophanes, I° post Chr. saeculo enarravit Heliodorus in Colometria, qui liber aetatem non tulit, sed saepius laudatur in scholiis; *quibus* autem *rationibus* Aristophanes Byzantius esset ductus, saeculo sequenti docuit Hephaestio in libro de Carminibus. Etiam signa quantitatis, accentuum, spiritus ad Aristophanem grammaticum referuntur [4]). Cruce (*τῷ χ, χιάζειν*) notabat Aristophanes versus molesti suspective vel omnino notabile aliquid habentes [5]).

Scriptone mandavit quaedam Aristophanes ex iis quae de dramatum textu et metris auditores viva voce docere solebat? Si fecit, ad nos non pervenit rei memoria: poetarum opera recensuit, commentarios de iis nullos videtur scripsisse. Aristarcho potissimum, discipulo eius longe praestantissimo, debemus quae de eius studiis Homericis novimus, alteri autem

---

[1]) Hibeh papyri I (1906) n° 6.

[2]) Ex. gr. debentur ei emendationes Thesm. 162 *Ἀλκαῖος* pro *Ἀχαιός*, Plut. 179 *Ναΐς* pro *Λαΐς*.

[3]) Cf. Dionys. de Compos. verb. p. 23, 30 et 32, 18 Sylb.

[4]) Arcad. (?) p. 186.

[5]) Cf. schol. Pac. 990 Thesm. 917 Plut. 179 (Proleg. ad Plut. p. XXIV sq.).

discipulo Callistrato — qui Aristarcho haud sane suppar fuit eruditione aut acumine — quae de scenicis. Sic Euripidis Orest. 1038 lectio Aristophanis Byzantii affertur ex auctoritate Callistrati [1]). Idem in comico obtinet [2]). Sed ex Aristophanis *Λέξεσιν* et *Παροιμίαις* et *περὶ Προσώπων*, operibus praestantissimis, aliisque minoris ambitus leviorisque argumenti, qualis fuit liber *περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων* [3]), multa ut ad alios poetas sic et ad comicum interpretandum utilia petiverunt grammatici recentiores, e. g. ad Eq. 796: „*ῥαθαπυγίζειν τὸ σιμῷ τῷ ποδὶ τὸν γλοῦτον παίειν*", teste fragmento Parisino *τῶν Λέξεων* exiguo, quod edidit Boissonade [4]); nec non e commentario, quo complexus est quae addenda et corrigenda habebat ad Callimachi Catalogos Bibliothecae Alexandrinae (*τὰ πρὸς τοὺς Καλλιμάχου Πίνακας* illum librum inscripsit). Exemplo sit quod in scholiis ad Nub. 967 legimus: „verba *τηλέπορόν τι βόαμα* vetusti alicuius carminis esse initium, sed poetam ignorari, *ἐν γὰρ ἀποσπάσματι ἐν τῇ βιβλιοθήκῃ εὑρεῖν Ἀριστοφάνη*" [5]).

Veri est simillimum Aristophanem Byzantium singulis dramatis praemisisse notitias didascalicas, quas praebebat Aristotelis opus *αἱ Διδασκαλίαι*, quaecunque de certaminibus poeticis e monumentis publicis sciri poterant complexum [6]); etiam opera Theophrasti (*περὶ Κωμῳδίας*), Hieronymi Rhodii (*περὶ Ποιητῶν*), Herodici (*Κωμῳδούμενα*), Dicaearchi, Eratosthenis quaedam praebere potuerunt, nec dubium quin praebuerint. Sic Dicaearchus nominatim commemoratur in Argumento Ranarum, Eratosthenes in Pacis [7]).

Fortasse etiam summaria brevia addidit Aristophanes grammaticus, quae argumenti expositionem, locum, personarum

---

[1]) Idem igitur statuendum de versibus 489, 713, 1287. Cf. etiam Hipp. 172.
[2]) Cf. schol. Thesm. 917.
[3]) Cf. schol. Plut. 179.
[4]) Cf. Nauck Aristoph. p. 80.
[5]) Cf. etiam schol. Thesm. 80 (in Proleg. Thesm. p. III sq.).
[6]) De *Διδασκαλίαις* post Casaubonum ad Athen. 259—262 egerunt Boeckh C.I.G. I 350 Ranke Vita Aristoph. p. CXXXII.
[7]) Cf. etiam Ran. 1026.

chorique nomina, alia eiusmodi praeberent. Si fecit, soluta utique oratione est usus; nam argumenta metrica, quae eius nomen ementiuntur [1]), multis saeculis sunt recentiora et toto caelo distant a grammatici vetusti docta brevitate.

Uno fere post Christum natum saeculo, eadem igitur aetate qua de Colometria scripsit Heliodorus, comici editionem scholiis marginalibus adornavit Symmachus grammaticus, cum Didymi commentariis usus prolixis, tum libris antiquiorum multoque prudentiorum interpretum Alexandrinorum. Ex Symmachi opere fluxere scholia quae ad nos pervenerunt, minime tamen intacta pervenerunt; cuius damni causa partim fuit librariorum socordia, partim angustiae membranarum priscae eruditionis thesauros non capientium, partim segnities magistellorum, qui in usum discipulorum ex priscis commentariis ea sola excerperent quae ad poetae verba intellegenda sufficere viderentur. Admixtae sunt observationes metricae ex opere Heliodori. Praeterea notulae aliquot debentur Phaïno cuidam, qui sero natus videtur fuisse ludi magister [2]), et multae aliorum hominum anonymorum annotationes verbosae magis quam utiles infertae sunt in scholia fabularum aevo Byzantino prae ceteris lectarum: Pluti, Nubium, Ranarum [3]). Hodiernis lectoribus ea sola prosunt quae ex Alexandrinorum interpretum commentariis sunt ducta.

---

Quadraginta quatuor aut quadraginta comici fabulas ediderunt olim grammatici Alexandrini: tres huius thesauri partes

---

[1]) Errorem primus notavit Nauck Aristoph. p. 253. Cf. quae ad Pluti fabulae Argumentum IV annotavi de codice V.

[2]) Cf. praesertim Eq. 1150.

[3]) Intercessisse tempus quo *quinque* potissimum legebantur fabulae *Plutus, Nubes, Ranae, Equites, Aves*, testantur codices satis crebri qui has solas continent, et concinit quod de tragicorum textu tradit Suidas, *Eugenium* grammaticum saeculo V° descripsisse metra canticorum *quindecim* dramatum Aeschyli Sophoclis Euripidis.

non nisi e paucis et exiguis fragmentis hodie cognoscuntur. Dicimus fabulas quarum haec sunt nomina:

| | |
|---|---|
| Aeolosicon. | Horae. |
| Agricolae. | Insulae. |
| Amphiaraus. | Lemniae. |
| Anagȳrus. | Onerariae. |
| Babylonii. | Phoenissae. |
| Ciconiae. | Poesis. |
| Cocalus. | Polyidus. |
| Daedalus. | Proagon. |
| Daetalenses. | Sen e ctus. |
| Danaïdes. | Tabernas occupantes mulieres. |
| Dionysus [1]) naufragus. | Tagenistae. |
| Dramata sive Centaurus. | Telmessenses. |
| Dramata sive Niobus. | Thesmophoriazusae alterae [2]). |
| Gerytades. | Triphales. |
| Heroes. | |

De quarum fabularum argumentis et virtutibus non nisi paucissima aut sciri possunt aut probabiliter conici, nec multo plura de singularum tempore. Quae constant haec sunt: comicum nomine Callistrati anno 427 in scenam commisisse *Daetalenses* [3]) et mense Martio anni 426 *Babylonios* [4]), nomine Philonidis mense Februario anni 422 *Proagonem* [5]) et mense Februario anni 414 *Amphiaraum* [6]), anno 387 *Cocalo* victorem evasisse Ararotem Aristophanis filium [7]), postea datam esse *Aeolosiconem* [8]). De ceteris incerta sunt omnia [9]).

---

[1]) *δισναυαγός* vel *διοναυαγός* codd. Poll. X 33, quae pro *δι᾽ ὐ ναυαγος* vitiose sunt scripta.

[2]) Non altera haec fuit recensio sed fabula nova, quam *Θεσμοφοριάσασαι* fuere qui vocarent potius (cf. Proleg. ad Thesm.).

[3]) Cf. Nub. 529 ibique schol., anonym. de Comoedia § 12, supra pag. 189.

[4]) Cf. Acharn. 377, 503.

[5]) Cf. Argum. Vesparum.

[6]) Cf. Argum. Avium.

[7]) Cf. quae in inscriptionis agonisticae miseris frustulis sub hoc anno leguntur: [*ἀ*]*ραρὼς ἰδ*[*ίδασκ*]*εν*, Wilhelm Sitz.ber. d. K. A. d. W. in Wien 4 Juli 1906.

[8]) Cf. Argum. Pluti.

[9]) *Onerarias* ante Pacem datam e Pacis argumento II efficitur; libenter Lenaeis

Supersunt fabulae undecim; quae quando scenae fuerint commissae singulae novimus [1]). Ex his septem praesertim, ut septena Aeschyli Sophoclis Euripidis dramata, olim in scholis sedulo sunt lectitatae: *Plutus*, *Nubes*, *Ranae*, *Equites*, *Vespae*, *Pax*, *Aves*. Ceteras antecedebat fabula omnium longe facillima, quippe quae choro tantum non prorsus careret, *Plutus*; sequebantur quae ob derisos Socratem et Euripidem prae aliis inclaruerunt *Nubes* et *Ranae*; dein ordine chronologico se excipiebant *Equites*, *Vespae*, *Pax*, *Aves* [2]). Cuiusmodi rationem etiam in aliorum poetarum comicorum fabulis ordinandis esse initam testatur ordo, quo Andronicus disposuit fabulas Platonis [3]); nam septem harum prius commemoravit secundum nominum litteras initiales se excipientes, dein ceteras (viginti duas) eadem ratione ordinatas (*Adonidem* cett.). Itaque non possumus non suspicari etiam Cratini fabulas olim ita fuisse dispositas, et fortasse confirmatur ea suspicio argumento Dionysalexandri fabulae, in quo *octava* illa fabula dicitur [4]). Nam fabularum viginti trium Cratini cognita sunt nomina; quae si ordine alphabetico collocata recenseantur, Dionysalexander erit fabula *sexta*: ergone duarum nomina nos latent? Veri hoc est dissimile, quoniam nominum traditorum vel maior est summa quam fabularum quas scripsisse fertur Cratinus, unam enim et viginti ei tribuunt veteres. Itaque septem, quae ceteris essent nobiliores, praemissae esse videntur, dein octava sive ordinis

---

anni 421 adscripserim, sed res incerta. *Agricolas* quod anno 422 adscripsere viri docti, iusta causa deesse mihi videtur; nam fragmentum 100 ut temporis indicium satis certum praebeat vereor. Erroribus debentur fabularum nomina, quae afferunt Eustathius p. 1720, 27 (*Erechtheus*, cf. Nauck Aristoph. p. 90) et Photius s. v. Ἀλμυρίδες (*Tereus*, fr. 132).

[1]) Cum res quae in singulis tanguntur id docent, tum notitiae didascalicae; quarum novem supersunt, duae — quae ad Thesmophoriazusas et ad Ecclesiazusas pertinebant — etsi interierunt, quid habuerint cognoscitur e scholiis ad Thesm. 1060 (coll. schol. Lys. 962 Ran. 53 al.) et ad Eccl. 193.

[2]) Pax post Vespas erat collocata: cf. scholia Symmachi ad Vesp. 1437 et ad Pac. 1048; — ante Aves: cf. eiusdem scholion ad Av. 822 (vWilamowitz Herakles[1] I p. 180, 113).

[3]) Cf. supra pag. 191, 2.

[4]) Oxyrh. papyri IV p. 69.

secundi prima fuisse Dionysalexander. Sed incertam esse rem libenter fateor, quoniam Alcestis XVII$^{a}$, Antigone XXXII$^{a}$, Aves XXXV$^{a}$ [1]) quod dicitur fabula in Argumentis, prisci hi numeri simili ratione explicari nequeunt.

De septem Aristophanis fabulis illis, quae prae ceteris olim solebant legi, duae *Vespae* et *Pax* aliquot saeculis post detractae sunt [2]), postmodo etiam *Equites* et *Aves* in oblivionem abierunt. Solis *Pluto Nubibus Ranis* operam tunc in scholis dederunt magistri.

---

[1]) Si quidem numeri signum sunt litterae *λε*, quas habet V, omittit R; nam dubito, cum praesertim etiam Aeschyli Persis in M superscriptum sit *λε*. Sed numerale si non sunt, quid significent nescio. In R *ante* notitiam didascalicam manus recentior scripsit: „*λυ*—" (?).

[2]) Cf. pag. 264, 3.

## II. De codicibus hodie superstitibus.

Undecim quas diximus comoediae in uno codice **Ravennate 137, 4 A (R)** hodie extant cunctae, certe hactenus inventae sunt [1]). Qui codex exeunte saeculo X° aut ineunte XI° una manu [2]) nitidissime in membrana mensurae satis magnae [3]) est exaratus; nunc sordibus et magis etiam madore multae paginae sunt deturpatae. Folia habet 191, in quibus comoediae hoc ordine se excipiunt: *Plutus*, *Nubes*, *Ranae*, *Aves*, *Equites*, *Pax*, *Lysistrata*, *Acharnenses*, *Vespae*, *Thesmophoriazusae*, *Ecclesiazusae*. In singulis paginis versus 43, rarius 42, habent Plutus Nubes Ranae Aves Equites —608, versus 41 et 40 Equites 609 sqq., versus 39 Pax, 41 Lysistrata, 43 Acharnenses Vespae Thesmophoriazusae Ecclesiazusae.

Septem tantum fabulas illas, quae ceteris olim sunt praelatae, *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Equites*, *Aves*, *Pacem*, *Vespas* [4]), exhibet

---

[1]) Imago phototypa edita est anno 1904: *Codex Ravennas 137, 4, A, praefatus est J. van Leeuwen Jr., Lugduni Bat., A. W. Sijthoff.*

[2]) Aut eadem haec est manus quae Sophoclis codicem Laurentianum 32, 9 (*L*) exaravit aut simillima. Aliae manus duae adscripsere scholia.

[3]) Hodie $32^1/_2 \times 21$ centim. sunt folia, sed nonnihil olim reciderunt bibliopegae.

[4]) In editione, quam Symmachus grammaticus saeculo I° vel II° post Chr. n. commentariis instruxit, alius fuit fabularum ordo. Habebat illa editio *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Equites*, *Acharnenses*, *Vespas*, *Pacem*, *Aves*, *Thesmophoriazusas*, *Ecclesiazusas*, *Lysistratam*, dein et alias; cf. vWilamowitz l. l. — Excerpta ex Symmachi commentariis praebet codex V; quo argumento usus est vWilamowitz ad

qui Ravennati aetate suppar est codex **Venetus Marcianus 474 (*V*)** foliorum 171, membranaceus et ipse, sed moduli aliquanto minoris [1]), saeculo XI° vel ineunte XII° neglegenter et multis siglis adhibitis scriptus [2]) manibus quatuor, quarum una fuit correctoris [3]). Singulae paginae habent versus 38—39.

Utrius autem codicis maior esset fides, saepius quaesiverunt viri docti; sed tum cum institui coepta est haec quaestio [4]), neque Ravennas cum pulvisculo excussus erat neque Venetus satis accurate erat exploratus; parum autem videtur utilis neque satis digna quae nunc, cum utriusque imago phototypa praesto est omnibus, suscipiatur denuo. Nam suo pretio singulae lectiones sunt aestimandae, neque propterea quod in R vel in V vel alibi legantur aut recipiendae aut spernendae, sed propterea quod verae aut falsae videantur. Quod ubi pro certo effici nequit, ne id quidem sciri potest, quid scripserit poeta; sed non multis locis est quod dubitent qui linguae Graecae et dictioni comicae cognoscendae sedulo dederint operam.

Communis autem amborum est stirps: non fratres sunt, neque fortasse patrueles, sed abavus certe vel atavus utrique fuit idem. Neque a sciolis mutatus est alterius utrius textus.

---

impugnandam opinionem vulgatam, qua prisca ecloga septem fabulas complexa creditur in codice V superesse integra: „damit erledigt sich die ansicht dass „die auswahl von 7 stücken im Venetus erhalten wäre; sie ist auch an sich ver„kehrt, denn diese gelehrteste handschrift repräsentiert keine verkürzung der „auswahl". Equidem nondum reicio illam opinionem, sed potius statuerim ex Symmachi opere plures — fortasse cunctas — fabulas complexo in codicem Venetum ea sola esse recepta quae pertinerent ad septem fabulas in eclogam olim coniunctas. Sic non est quod miremur hunc codicem et paucas tantum habere fabulas in usum tironum selectas, et tamen abundare observationibus non in usum discipulorum sed hominum eruditorum scriptis et ex opere maioris ambitus desumtis.

[1]) Nunc est $27^1/_2 \times 20^1/_2$ centim.

